GUIDI ANGELI
POGGII
I. C.
CASSIANENSIS AD VITIM

ELEMENTA
IURISPRUDENTIAE CRIMINALIS
LIBER TERTIUS.

Custode rerum CAESARE, *non furor*
Civilis, non vis eximet otium.
Horat.

FLORENTIAE M. DCCC. XVII.

EX TYPOGRAPHIA FRANCISCI DADDII
in vico omnium Sanctorum
Superiorum permissu.
Prostant apud Franciscum Alexandri

Qui ratione punire aggreditur, non praeteriti sceleris causa punit; neque enim assequi potest, ut quod est factum sit infectum; sed futurum respicit, ne iterum aut ipse, aut alius quilibet exemplo ejus adductus delinquat.

Plat. Protagor.

. . . . Diis proximus ille,
Quem ratio, non ira movet, qui facta rependens
Consilio punire potest . . . .

Claudian. de Consulat. Mall.

TABULA CAPITUM LIBRI III.

CAPUT I.
De homicidio culpa commissa. Pag. 7.
CAPUT II.
De homicidio necessario. 12.
CAPUT III.
De homicidio simplici. 21.
CAPUT IV.
De homicidio praemeditato. 41.
CAPUT V.
De Parricidio. 49.
CAPUT VI.
De partus ejectione. 62.
CAPUT VII.
De expositione infantis. 72.
CAPUT VIII.
De infantis caede. 77.
CAPUT IX.
De Veneficio. 82.
CAPUT X.
De Assassinio. 91.
CAPUT XI.
De Latrocinio. 99.
CAPUT XII.
De Plagio. 109.

ERRATA			CORRIGE
Pag. 2.	lin. 11.	opere	operae
13.	8.	iusequuntur	insequuntur
25.	30.	leniendam	leniendam
48.	18.	in	in
51.	9.	silentio	silentio
75.	11.	Matertera	Soror
86.	28.	*offlcio*	*officio*

Siquid aliud irrepserit, sapiens Lector emendabit.

ELEMENTA
IURISPRUDENTIAE CRIMINALIS
LIBER III.

De delictis, quae ad singulorum Civium personas referuntur.

§. I. Quod belli omnium in omnes prior fuerit Hominum status, Natura duce, nemini egregie cordato Philosopho persuasum arbitror (1). Quid enim inconseqnens magis, et minus congruens Divino illi Naturae ipsius Auctori, qui tot, tantisque donis Hominem super caetera animantia ditavit (2)? Homines igitur ad Societatem procreatos a Deo fatendum est, degeneres utcunque reddiderit Parentum error (3). Quum vero pri-

(1) Quidquid aliter senserit *Hobbesius de cive cap.* 1. §. 12.
(2) Ita argumentatur prae caeteris *Filanger. scient. legislat. lib.* 1. *cap.* 1.
(3) Usque eo degeneres, ut incultis in Plagis infensi Peregrinis, tanquam hostibus, Populi occurrant,
. . . . quorum non sufficit irae

mum a naturali cognata Societate, quaecunque illa fuerit (4), in civilem coierunt, eo respexisse potissimum liquido patet, ut continerentur fortiores, atque hac ratione unusquisque bonis Natura largitis posset tranquille frui (5). Ante omnia porro bona vita est carior Hominibus; ideoque, exactis jam superiore Libro criminibus, quae generaliter perturbant ordinem, quo haec ipsa Hominum Societas regitur, illa nunc persequi in primis opere pretium est, quibus eorum vita aut eripitur, aut in discrimen adducitur, quaeque propterea ad singulorum Civium personas referuntur peculiari modo; de reliquis acturi in posterum.

II. Huic itaque criminum classi pertinent homicidium, et vulnera; homicidium, quatenus internecio est Hominis, quae alterius Hominis facto voluntario, et doloso, aut quoquo modo culpabili tribui potest; vulnera, quatenus qualecunque humani corporis membrum, aut membri pars simili ratione laeditur; Hinc non homicidium, non vulnus

Occidisse aliquem, sed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus esse cibi . . . .
Juvenal. Sat. 15.

(4) Nec tamen prorsus beluarum instar, ut innuit *Cic. de invent. rhetor. lib.* 1. *cap.* 2., sed quam οἰκείωσιν, *familiarem*, Stoici dixerunt *Grot. de jur. bell. et pac. prolegom.* §. 6.

(5) *Renazz. elem. jurisprud. crim. lib.* 4. *part.* 4.

criminationi obnoxium, sed pauperiem dicemus, ubi Hominis internecio, aut laesio tota animali bruto referatur, quod „ injuriam fecisse dici non potest, quia sensu caret „ (6); infortunium vero, si fortunae, cui nullus Legumlator imperare poterit unquam (7). Homicidii contra tenebitur, qui naufrago Homini opportuno in tempore supppetias impediverit; qui Hominem ipsum incluserit, ut fame confectus periret; qui innocentem per calumniam supplicio tradi fecerit, et caetera id generis, quibus, ut opportune animadvertit *Voet* (8), accommodatur illud *Ulpiani* „ Nihil interest occidat „ quis, an causam mortis praebeat „ (9).

III. Voluntarium vero, et dolosum, aut quoquo modo culpabile Hominis factum in homicidio, et vulnere requirimus, atque inde illa excludimus, quae justo in bello perpetrantur innumera, et justum etiam in dubio a Subditis bellum praesumi debet; iis enim, ut ait *Tacitus*, gloria relicta est obsequii (10), quo pereunte etiam Imperium intercidit (11): Illa excludimus pariter,

(6) *Leg.* 1. §. *ait Praetor ff. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.*
(7) *Plat. de legib. Dialog.* 9.
(8) *Ad lib.* 48. *Pandect. tit.* 8. *n.* 3.
(9) *In leg.* 15. *ff. ad leg. Cornel. de Sicariis.*
(10) *Annal. lib.* 6. *cap.* 8.
(11) Idem *Tacit. histor. lib.* 1. *cap.* 83. Hinc *D. Augustin. contra Faustum lib.* 22. *cap.*

quae Magistratus legitime constituti decreto Reis inferuntur, hos quippe non Homo, sed Lex interficere dicitur (12): Illa etiam, ad quae impellit momenti necessitas, impunia quandoque esse possunt, ut infra videbimus.

IV. Ad interemptos quod attinet, humanam naturam requirimus: Romanum Ius monstrum excipit (13), quod Graeci Φάντασμα τερατῶδη dixerunt (14): Hujusmodi ostenta, habito quinque Virorum judicio, necari *Romulus* jussit (15), quo pertinet Lex in Decemvirales relata „ Pater insi„ gnem ad deformitatem puerum cito neca„ to „ (16), et altera „ monstrosos partus

75. „ Cum ergo vir justus, si forte sub Re„ ge homine etiam sacrilego militet, recte „ possit illo jubente bellare, civicae pacis or„ dinem servans, cui, quod jubetur, vel non „ esse contra Dei praeceptum certum est, vel, „ utrum sit, certum non est; ita ut fortasse „ reum Regem faciat iniquitas imperandi, in„ nocentem autem militem ostendat ordo ser„ viendi, etc. „ et *de Civitate Dei lib.* 1. *cap.* 26. „ Nam et miles, cum obediens Potesta„ ti, sub qua legitime constitutus est, Ho„ minem occidit, nulla Civitatis suae Lege „ reus est homicidii; imo, nisi fecerit, reus „ est Imperii deserti, atque contempti „.

(12) *Idem D. Augustin. super Levitic. quaest.* 68.

(13) *Leg. non sunt liberi ff. de statu hominum.*

(14) *Leg. ostentum ff. de verbor. significatione.*

(15) *Dionys. Halicarnass. histor. Roman. lib.* 2.

(16) *Gravin de orig. jur. lib.* 2. *cap.* 31.

„ sine fraude caedunto „, sicut et illud Poetae (17)

Prodigia indomitis merge sub aequoribus. Hoc tamen sic accipiendum, ait *Matthaeus*, quatenus ostenti, seu prodigii „ non tantum „ figura sit monstrosa, sed et impetu belui- „ no feratur „ (18), licet ne haec quidem monstra impune occidi posse rectius crederem (19).

V. Homicidium, et vulnus, ubi Hominis facto refcratur, quod non eo tendebat, culpa commissum dicitur: Necessarium, cum vi vis illata, ut *Cicero* ait (20), defenditur, nec nisi caede aggressoris defendi potest: Dolosum, ubi voluntas in actione ad injuste nocendum directa fuerit; hoc autem, quod, nisi alia concurrant, dicitur simplex (21), qualitatibus etiam aliunde, sive elementis nonnunquam componitur, quae illius atrocitatem adaugent summopere: Qualitates hujusmodi quandoque intrinsecus, quandoque interveniunt extrinsecus; ad qualitates, quae intrinsecus crimen adaugent, refertur praemeditatio, et proditio; multifariam angeri potest extrinsecus, ratione videlicet Perso-

(17) *Tibull. eleg.* 3. *lib.* 2.
(18) *Ad lib.* 48. *ff. tit* 5 *cap.* 1. *n.* 6.
(19) Vid. *Brunneman. in d. leg. non sunt liberi, et Groenweg.*, qui Magistratus consensum desiderat.
(20) *In Orat. pro Milone cap.* 4.
(21) *Boehmer. elem. jurisprud. crim. sect.* 2. *cap.* 16. §. 200.

nae, modi, et finis: Et ratione quidem Personae, cum caedem in sanguine, et affinitate nobis conjunctos perficimus; hinc Parricidium proprium, quod in Parentes, et caeteros in linea recta ascendentes; minus proprium, quod in descendentes, in linea transversa positos, et affines ad quartum usque gradum, quo etiam pertinet partus per vim ejectio, infantis expositio, et impia ejusdem caedes; huc illa pariter pertinent, quae perpetrantur in Magistratus, et caeteros omnes intuitu officii, et dum illud exercent (22): Ratione modi, cum veneno, vel armis invisis Legi crimen committitur; sicut et cum alteri crimen ipsum exequendum mandatur, quod Nostri nomine ab Asiae Regione ducto assassinium dicunt: Ratione denique finis, cum ad securius furtum perpetrandum, quod latrocinium (23): Age vero haec omnia nunc singillatim considerabimus. Et quoniam vix vivere dicitur, qui libertate, qua singuli fruuntur Cives, per vim, et contra jus privatur, hinc etiam hoc crimen, quo vita civilis injuste supprimitur, plagium videlicet, postremo loco hujus Libri insequemur.

(22) De quibus, cum ad Majestatem quodammodo pertineant, superiore Libro dictum est.
(23) Etiam ratione Loci quodcunque crimen augeri posse alibi notatum est, cum in Templo, videlicet, Aula, Foro, Academia etc. committitur

CAPUT I.

De homicidio culpa commisso.

VI. Culpam definivimus alibi rectitudinis defectum mentis vitio vertendum (1) eamque in latam, levem, et levissimam divisimus ex diligentiae gradibus, qua quis in actionibus se suis continet, perpendendam (2). Ad justam imputationem, ubi de culpa sit quaestio, haec tria requiri *Barbeyracius* notat „ I. Ut nexus aliquis vel essentialis, vel accidentalis intercedat inter id, „ quod factum, aut omissum est, et malum, cui inde occasio data est: II. Ut „ innotuerit hic nexus, et praevideri effectus cum verisimilitudine quadam potuerit: III. Ut aliqua adfuerit obligatio non „ faciendi id, quod tali effectui producendo „ occasionem dedit „ (3). Verum haec obligatio non ideo necessaria, ut, si non adsit, continuo et ipsa imputatio evanescat; qui enim ex: gr: dum loco, et tempore licito feram persequitur, non satis explodens praecaverit, Hominemque interfecerit, cul-

(1) Ita ex *Lampredo*, ubi de culpa in specie: Quidquid deest perfectae actionis rectitudini culpam in genere dicit.

(2) *Lib.* 1. *cap.* 1. §. 26.

(3) *Ad Pufendorf. de offic. Hom. et Civ. lib.* 1. *cap.* 1. §. 18. *not.* 2.

pae tenetur (4): Fatendum tamen magis illum peccare, qui in illicitis versatur, adeo quidem, ut quod inde malum, etsi praeter intentionem, advenerit latae ejus culpae tribui non immerito possit. (5)

VII. Culpa itaque homicidium contrahitur, quoties Homo aliud agens non id omne caverit, ex quo alterius Hominis mors fuerit subsequuta, quod tamen prudens, et diligens cavere potuisset, ac debuisset; hoc idem dicendum de vulnere. Gradus culpae in inversa diligentiae ratione supputantur; haec autem ex distantia inter actionem, et malum, quod istinc emanaverit: Quo igitur actioni propius accedit malum, et arctius, diligentia minor, major Agentis est culpa; secus, si longius, atque hinc levis, et levissima, quae dicitur culpa, quam in poenalibus, excepto homicidio, non imputari monuimus alibi (6): Verum neque ipsa levissima

(4) *Gloss. in leg. respiciendum § delinquunt ff. de poenis*; non semper, ait *Horat. art. poet.*, Non semper feriet quodcunque minabitur arcus.

(5) Culpa non vacare auctorem stupri ob subsequentem, utcunque illo inscio, infantis ex eo concepti caedem monet *Brunnemann. in leg. si ex plagis ff. ad leg. Aquiliam n.* 4; atque ita quidem pluries decisum olim apud Nos. Vid. *Raynald. vot. crimin.* 133. *n.* 14.

(6) *D.* §. 26. *lib.* 1.

culpa sibi vindicat locum, ubi nexus inter actionem, et malum casui potius referendus videatur, ita porro, ut ne a prudentissimo quidem Homine probabilitate quadam praevideri potuerit (7). Casui etiam homicidia tribuuntur, quae in ludis gymnasticis praeter intentionem evenerint, dummodo tamen haec simul concurrant, locus, modus, tempus, et res ipsa licita, publicae scilicet Auctoritatis placito inita eo loco, tempore, et modo (8).

VIII. Ipsa quoque ignorantia, et artis inscitia, ex qua factum sit, ut Homo vulneretur, aut pereat, culpae non immerito adscribitur: Hinc Architecto imputantur quae ex non bene constructo tabulato, vel machina advenerint infortunia; Pigmentario, quae ex male paratis medicamentis (9); Medico, qui chirurgiam exercens non recte secuerit (10); Obstetrici, si quae

(7) Hinc homicidium, quod dicunt casuale criminatione vacans.

(8) *Boehmer. d. cap.* 16. §. 204.

(9) Pigmentario venena vendere, donare, aut credere vetitum, inconsulto Medico, aut Magistratu, cui spectat, *ex leg.* 1. *Septembr.* 1590. *et* 26. *Maj.* 1777. §. 70.; Vid. *Cantin. illustrat. ad edict.* 2. *Iul.* 1549.

(10) Ad medicamenta quod attinet, vix raro propter artis fallaciam tristis eventus imputatur Medicis, qui, ut ad rem verba referens *Plin. natural. histor. lib.* 29. *cap.* 1.

Medico difficili in partu propius pertinent, imprudens infausto eventu aggressa fuerit; quin et ipse Iudex imputatione non vacat, si ex summa ignorantia innocentem damnaverit (11): Hoc idem dicendum de reliquis, et quidem innumeris, quae humanae vitae historia nobis exempla suppeditat: Plurima pariter *Digestum* retulit sub titulo *ad Legem Aquiliam*, quae Hominis culpam vel committendo, vel omittendo prae se ferunt in alterius Hominis noxa, aut interitu.

IX. Ad homicidia, quae ex culpa commissa dicuntur, Doctores et illud referunt, cum quis ob non lethale vulnus ex malo sui regimine, vel male medicatus perierit; quae quidem sententia sic accipienda, quod qui dolo intulit vulnus non poena ordinaria homicidii teneatur, sed vulneris (12), graviori tamen, quam si vulneratus convaluisset; nam, ut opportune animadvertit *Brunnemannus*, prima necis causa vulneri semper accepta referri debet (13): Si vero non ex sui negli-

„ Discunt periculis nostris, et experimenta per „ mortes agunt, Medicoque tantum Hominem „ occidisse impunitas summa est „

(11) *Ad text instit. de obligationibus, quae ex quasi delicto nascuntur* §. 1.

(12) *Paulus in leg. qui occidit ff. ad leg. Aquiliam* „ Si vulneratus fuerit servus non mortifere, negligentia autem perierit, de vulnerato actio erit, non de occiso „

(13) *In d. leg. si ex plagis n.* 3.

gentia, vel Medici, sed quod adversa laborans valetudine vulneratus, qui caeteroquin convaluisset, perierit, tunc sane de occiso erit actio, ut *Pauli* utar verbis, non de vulnerato, quemadmodum rejecta *Caballi* doctrina sapienter notat *Zacchias* (14); quae enim vulnera in corpore sano lethalia non sunt, haec eadem lethalia sunt in aegroto (15).

X. Poena homicidii, cui causam praebuerit culpa, ex culpae ipsius gradibus ita apud Nos perpenditur, ut nunquam relegationem excedat (16), quandoquidem culpa, quantumvis lata, nunquam ex Lege Cornelia pro dolo, ut ait textus, accipitur (17); lenius etiam, pecuniaria videlicet multa, puniuntur vulnera; quae enim praeter intentionem acciderint incuria Hominis mala, ad criminum classem non pertinent, ideoque quasi delicta dicuntur Romano Iure, quod eo potissimum tendit, ut obligationem ad damna sarcienda ex ipsa etiam levissima culpa inducat.

(14) *Quaest. medico-legal. lib. 5. tit. 2. quaest. 2. n. 32.*
(15) *Teichmey. instit. medic. legal. cap. 22. quaest. 4.*
(16) Qua poena vindicatum fuisse ab *Hadriano* testatur *Ulpianus in leg. 4. §. cum quidam ff. ad leg. Cornel. de Sicariis.*
(17) *Leg. 7. ff. eod.*

CAPUT II.

De Homicidio necessario.

XI. Homicidium necessarium illud diximus, cum vi vis illata defenditur, nec nisi caede aggressoris defendi potest: Ubi aggressio iniqua penitus fuerit, et instans vitae aggressi periculum, occisio aggressoris cum moderamine inculpatae tutelae commissa dicitur, et quacunque imputatione soluta. „ Silent enim Leges inter arma (sic *Cicero*) nec se expectari jubent, cum ei, qui „ expectare velit, ante injusta poena luenda sit, quam justa repetenda „ (1). Quod si qui occidit ipse provocaverit primus, et in vitae discrimine deinde positus ipse quo-

(1) *In d. orat. pro Milone cap.* 4., *leg.* 2. *et* 3. *Cod. ad leg. Corneliam de Sicariis*. Nec autem quaerendum, utrum arma fuerint paria, nec ne, ut nonnulli voluerunt, *Renazz. elem. jur. crim. lib.* 4. *part.* 4. *cap.* 1. §. 6., *Boehmer. d. cap.* 16. §. 207. Multo minus quaerendum, utrum sui compos aggressor fuerit; siquidem jus defensionis a Naturae praecepto, non ab alterius peccato nascitur, ideoque furiosum etiam, aut ebrium etc. necessitate urgente interficere licet *Grot. de jure belli, et pacis lib.* 2. *cap.* 1. §. 3.

que interfecerit, non aeque defensionis necessitas illi prodesse potest, ut criminationem evadat, et poenam; quae ex qualitate provocationis, atque consilii, quo id ausum, perpenditur: Proinde multo severius homicidium punitur in adultero, aut fure, dum alterum Pater, Maritus, alterum Dominus deprehensos in crimine ferro insequuntur, caedemque minantur, quam in subitae rixae, nec multi momenti, auctore, qui in pari vitae periculo a provocato natura aspero fuerit constitutus: Quin etiam huic moderamen prodesse nonnulli autumant, si dehinc pavidus se in fugam conjecerit, nec, nisi post imminens vitae periculum, provocatum, qui furens illum insequebatur, peremerit; „ Fugae namque ea vis est, inquit *Cremanus* (2), ut fugientis jus quasi reviviscat, „ altero fines inculpatae tuteiae praetereunte „, quod quidem sic accipiendum existimo, ut poena homicidii ordinaria per gradus remittenda sit occisori, nec tamen impune prorsus illi sit occidisse, cui prima tristis eventus refertur origo (3).

XII. Nec autem sola defensio vitae, sed et pudicitiae id praestat, ut occidisse quandoque impune esse possit, quando videlicet pudicitia periclitans nulla alia ratione ser-

(2) *De jur. crimin. lib. 2. cap. 5. §. 13.*
(3) *Raynald. observat. crim. cap. 7. n. 33.*

vari valeat, quam caede audacis Moechi (4); neque iis solum, quibus infertur vis, verum etiam propinquis impune homicidium fore ex claro *Imperatoris* rescripto colligitur, „ „ Item Divus Hadrianus rescripsit eum, qui „ stuprum, sibi, vel suis per vim inferen- „ tem occidit, dimittendum „ (5): Hanc porro impunitatem propinquis non tantum, sed extraneis quoque indulgendam doctissimi Viri existimarunt, sive ipsa vita, seu pudicitia in discrimine fuerint (6): Ita quidem ratiocinatur *Matthaeus* „ Natura rerum „ inter omnes Homines cognationem insti- „ tuit, cujus vi, et ad opitulandum oppres- „ sis accurrimus, et irascimur opprimenti. „ Quod si, cum quo humanitas communis est, „ etiam Civitas nos junxerit, jam duplici „ vinculo ad opem ferendam astringimur. „ Nefas est, ut *Seneca* ait, nocere Patriae, „ ergo Civi quoque, quoniam pars Patriae est.

(4) Exemplum sub strenuo Duce *C. Mario* perhibet *id. Cic. loc. cit.*, *Plutarch. in vita Marii*.

(5) *In leg. 5. §. final. ff. ad leg. Cornel. de Sicariis*; **Vid.** *Plat. dialog. 9. de Legibus*.

(6) *Voet in Pandect. lib. 48. tit. 8. n. 11.*, *Matth. lib. 47. ff. tit. 5. cap. 2. n. 11.*, *Cremman. d. cap. 5. §. 11.*, *Barbeyrac. ad Pufendorf. de jure Nat. et Gent. lib. 2. cap. 5. §. 6.*, *Selden. de jure Nat. et Gent. secund. Hebr. lib. 4. cap. 3.*, *Lampred. Iur. publ. univers. part. 1. cap. 7. §. 8.*

„ Quod si nocere nefas, ergo opitulari fas „ est. Nam, ut omnia inter se membra „ consentiunt, quia singula servari totius in- „ terest, ita singulos servare debemus, quia „ ad coetum geniti sumus; salva autem esse „ Societas, nisi amore, et custodia partium „ non potest. Denique, si qui, cum prohi- „ bere crimen posset, non prohibuit, pro- „ pe ipse admisisse videtur secundum ea, „ quae in *Prolegomenis* disseruimus, utique „ a poena immunis esse debet, qui prohi- „ buit „ Id etiam ratio politica suadere vi- detur; cum enim scelestissimi non ignorant ubicunque adesse infamium conatuum vindicem, Lege non contradicente, minus profecto audent (7). Verum ad periculum pudicitiae quod attinet, non omni fortasse poena solutus evaderet apud Nos extraneus Moechum interficiens; confecto autem scelere, neque propinqui, neque ipsa vim passa; tunc enim scelesti interemptio non defensioni, sed vindictae refertur, quae Auctoritati publicae pertinet (8).

XIII. Quae de pudicitia diximus non aeque se habent, ubi de altera honoris specie sit quaestio, de existimatione videlicet;

(7) „ Utilis, ait *Baco*, metus ultionis privatae: „ nam Leges nimium saepe dormiunt „ *de aug. ment. scientiar. lib. 7. exempl. 39.*

(8) *DD. ad text. in leg. scientiam §. qui cum aliter ff. ad Legem Aquiliam.*

haec bonum profecto praestabile est, sed propter injuriam non amittitur, ut optime inter caeteros observat *Grotius* (9), eorum doctrinam refellens, qui aliter sentiunt contra ipsam Evangelicam Legem, quae alapam pati potius jubet, quam adversario nocere, ita quidem, ut tali affectus injuria terga contemptor vertens honorem ipsum augeat, non minuat: Hinc pari vitio laborat quorundam sententia, qui ignominiosam dictitant fugam nobili praesertim genere Viri, cui vitam inimicus minetur; haec enim non vera ignominia est, ita prosequitur *Grotius*, „ sed falsa quaedam ignominiae „ opinio, spernenda ab omnibus iis, qui vir- „ tutem, et sapientiam sectantur „: Fugat igitur sapiens, cum sine periculo (10) potest, nec se adversarii inquinet sanguine sub falsa honoris specie (11). Porro non ita ad pudicitiam quod spectat; licet haec virtus sit animi, quae eripi, aut vi extorqueri nemini possit, non ideo iis assentiri placet, qui in ipso quoque discrimine caede aggressoris

(9) *D. cap.* 1. §. 10., *Heinecc. de jur. Nat. et Gent. lib.* 1. *cap.* 7. §. 187.

(10) Ita conciliantur quae subdit *Heinecc. in praelect.* distinguens fugam a perfugio, *Matth. d. tit.* 5. *cap.* 3. *n.* 7.

(11) „ Externi isti sunt mores (inquit *Cic. pro* „ *Q. Ligario cap.* 4.) usque ad sanguinem in- „ citari solet odium aut levium Graecorum, „ aut immanium Barbarorum. „

impune repelli vim posse negant; quandoquidem etiam externae castitatis jactura irreparabile est malum (12).

XIV Quid autem, si non vita, non pudor, sed fortunae, ac divitiae sint in discrimine, quae anima, et sanguis dicuntur mortalium, et quibus, ut ait Poeta, qui caret, non vivit, umbra vivit? Furem, qui ante Solis ortum vim faceret domui, occidisse apud Hebraeos impune erat (13); haec eadem fuit *Platonis* sententia contra furem, qui noctu fuisset ingressus (14); hoc ipsum quoquo modo in furem nocturnum statuerunt XII. Tabularum Leges apud Romanos (15);

(12) Opportune *Heinecc. d. cap.* 7. §. 186. „ Sed „ tamen, quamvis pudicitia mentis satis in „ tuto sit, attamen honestae Virgini, ac Ma- „ tronae non atrocior ulla videri potest inju- „ ria, quam stuprum violentum, maxime cum „ alteri prolem ex se excitare cogatur, et ca- „ stitatis etiam externae jactura sit irrepa- „ rabilis „

(13) *Exod. cap.* 22. *n.* 2.

(14) *De Legibus dialog.* 9.

(15) *Cic. d. orat. pro Milone cap.* 3., *Gelli noct. attic. lib.* 11. *cap.* 18., *Macrob. Saturnal. lib.* 1. *cap.* 2., qui priora verba Legis refert „ Si nox furtum factum sit, si „ im aliquis occidit, jure caesus esto „ ; acclamationem superaddit *Cajus in leg. itaque ff. ad leg. Aquiliam*, quae ad Legem quidem priorem non attinet, ut notat *Noodt observat. lib.* 1. *cap.* 15.

in furem vero diurnum, si defendisset se telo. Verum haec impunitas favore caedentis nocturnum furem, sive quod crederetur adesse, sive quod praesumeretur periculum (16), progressu temporis ita demum sanctionem obtinuit Romano Iure, quoties reapse periculum, et quidem urgens adesset, ut aperte monet *Ulpianus* (17). „ Furem „ nocturnum siquis occiderit, ita demum „ impune feret, si parcere ei sine suo peri„ culo non potuit „; urgens autem periculum dicitur, ubi fur audaci conatu vim faciens foribus, atque armis instructus minetur ingredi, multoque magis, ubi aut socios habeat, aut ipso in ingressu ad caedem paratus in Dominum, ejusque domesticos irruat, atque id totum seu noctu, seu luce, si non aliter infame latronis ausum repelli potuerit.

XV. Caeterum, quoties non vita, sed opes tantummodo in periculo fuerint, nec minimum dubito contra vulgatam Doctorum sententiam, queis verba Legis post *Glossam* latius interpretari placuit (18), iis assentiri, qui seu parvi, seu multi momenti ab-

(16) Vid. *Grot. et Heinecc. loc. nuper cit.*
(17) *In leg. 9. ff. ad leg. Corneliam de Sicariis, leg. 4. Cod. eod.*
(18) *Bonfin. ad bannim. cap. 24. n. 136., Bonifac. de furtis §. 11. n. 23., Conciol. verb. defensio resolut. 5.*, et alii quamplures etiam Theologi.

reptae res fuerint, negant impune occidi posse furem non cognitum, qui secum eas auferat fugiens (19); neque etiam deprehensum in fuga, qui reddere ablatum recuset, interficere, aut graviter laedere impune erit, sed solum quo casu armatus resistat minas paratus exequi (20): Hoc casu Militibus etiam, atque Lictoribus impune erit eos occidisse, qui publicae Auctoritatis mandatis armati, et numero plures ad caedem proni resistunt (21); quin imo, si hostili animo ad Reipublicae tranquillitatem turbandam venerint, cuicunque erit impune; adversus hos quippe unusquisque Civis est miles (22): Id ipsum olim in Proscriptos ob-

(19) *Brannemann. adnotat. ad leg.* 1. *ff. de vi, et vi armata*, *Grot. d. cap.* 1. §. 12., ubi haec aurea verba *Augustini* refert „ Quomodo apud Divinam Providentiam a peccato „ liberi sunt, qui pro his rebus, quas con„ temni oportet, humana caede polluti sunt? „ *Sabell in summ.* §. *furtum n.* 14., *Renazz. d. cap.* 1. §. 7. Notum est satis S. P. *Innocentium XI.* sub die 4. Mart. 1679. hanc propositionem damnasse „ Non solum licitum „ est defendere defensione occisiva, quae a„ ctu possidemus, sed etiam ea, ad quae jus „ inchoatum habemus, et quae nos possessu„ ros speramus „.

(20) *Ad text. in leg. si ex plagis §. tabernarius ff. ad leg. Aquiliam;* Vid. *Paul. lib.* 5. *sentent. tit.* 23. §. 9.

(21) *Matth. d. tit.* 5. *cap.* 2. *n.* 10.

(22) *Renazz. d. cap.* 1. §. 7.

tinuit, licet haud recte rationi politicae consonans, multoque minus, cum praemiis quoque alliciebatur interficientium impunitas (23).

(23) Opportune Auctor Opuscul. dei delitti, e delle pene §. „ Della taglia „ Un tale editto sconvolge tutte le idee di morale, e di „ virtù, che ad ogni minimo vento svaniscono nell' animo umano. Ora le Leggi invitano al tradimento, ed ora lo puniscono „ Vid. *Carmignan. elem. Iur. crimin. lib.* 1. *part.* 1. §. 148.

CAPUT III.

De homicidio simplici.

XVI. Simplex homicidium illud dicunt, quod in sua naturali simplicitate ex improviso animi motu committitur (1): Huic porro voluntas cum dolo vel est, vel praesumitur comes, ita quidem, ut, si quandoque nec etiam strictius praesumi valeat, semper homicidii directe auctor teneatur, ubi actio mala ad nocendum directa unica, et necessaria necis fuerit causa (2). Hinc illa sic sejungenda facile compertum est, quae culpa adveniunt, in quibus nec voluntas ad noxam ordinata, nec dolus eo tendens concurrit, quemadmodum et necessaria, quae voluntatem quidem prae se ferunt, nec tamen dolum, quem veteres malum dixerunt (3); hic enim abest, ubi quis perfecto utitur jure suo (4).

XVII. Quoties actio ad nocendum directa simul cum dolo concurrit, homicidii teneri auctorem diximus, quod tamen sic accipien-

(1) Ita. *Paolett. instit. theoric. practic. crim. lib.* 3. *tit.* 9. §. 1.
(2) *Renazz. d. cap.* 1. §. 13. *n.* 1.
(3) *Leg.* 1. §. *non fuit ff. de dolo malo.*
(4) *Ad text. in leg. ut vim ff. de justitia, et jure, leg. injuriarum* §. *is qui ff. de injuriis.*

dum, ut juxta modum plus, minusve imputetur; et sane quidem plus multo, si gladio, aut herculea clava, aliisque id generis armis, ex quibus occidendi animus argui possit (5), quam, si pugno, ferula, tenui baculo, aut saxo quis percusserit aliquem, neque etiam immodice, hic autem ex vulnere nihilominus perierit; hoc enim casu homicidium inter illa recensent, quae praeter expectationem, et mentem commissa dicuntur, minus, ut dixi, imputanda: Huic prope simile est illud, cum Praeceptor, Pater severitate quadam castigant, hic Filium, ille Discipulum, ex quo factum sit, ut supremum obierit diem: Nimia Praeceptoris saevitia culpae assignatur a *Paulo* (6); ast, quando usque eo saevit iratus aut ille, aut Pater, profecto neuter eorum jure agit, utcunque necandi absit intentio.

XVIII. Homicidium simplex ut plurimum rixam ex improviso natam consequitur; verum aliae etiam subitae causae adeo quandoque perturbant Hominis animum, atque ad iram concitant, ut sui similis sanguine se maculare non vereatur: Ut tamen alterutro in casu homicidium simplex reapse dici possit, iram adhuc effervescere volunt Iuris nostri Scriptores; quod enim ex tali intervallo admittitur, ut animi fluctus

(5) *Matth. d. cap.* 3. *n.* 15.
(6) *In leg. Praeceptoris ff. ad leg. Aquiliam.*

compositi jam praesumantur, ad classem eorum non immerito ascribunt, quae praemeditata dicuntur (7): Praemeditata sunt pariter, si rixa praecesserit quidem, sed consulto excitata fuerit eo fine, et proposito, ut in ipsa Homo periret (8).

XIX Proinde multo severius haec plecti Iura voluerunt, quam illa, in quibus, etsi non raro voluntas ad caedem directa elici possit ex armorum qualitate lethifera, vulnerum iteratione, praestantiori corporis parte, quae laeditur, aut ex hisce similibus, non aeque tamen interfectoris patescit improbitas, ut in iis, quae pleno consilio, ac proposito ipse idem meditatur, et perficit (9): Ea porro ratione *Plato*, ut Philosophus, homicidia, quae consulto admittuntur, voluntaria, quae primo irae impetu, non involuntaria omnino, sed involuntarii habere similitudinem dixit (10), quod idem innuere voluit *Cicero*, dum perturbatos motus animi ad trutinam revocans, quae inde emanaverint, necessaria interdum, aut certe ignorata videri posse ait, cum voluntaria reapse sint (11).

(7) *Menoch. de arbit. cas.* 361. *n.* 18. *et seq.*, *Grassett. anatom. nec. prodit.* §. 2. *n.* 8. 9.
(8) *Matth. d. cap.* 3. *n.* 20., *Creman. d. cap.* 5. *n.* 19.
(9) *Creman. loc. cit.*
(10) *Dialog* 9. *de Legibus*.
(11) *Topic. cap.* 17. „ habent tantos motus, ut

XX. Hoc itaque statuendum, simplex homicidium quod dicimus ad Legis Corneliae censuram proprie non pertinere, quae caedem sibi consulto a Sicario, aut Latrone propositam, et telo armatum incedentem hoc animo peculiari modo persequitur (12), ideoque dolum pro facto vult accipi (13). Auctorem inopinatae rixae, qui provocatum ira hinc inde effervescente peremerit, a praemissa regula excludere nonnullis placuit (14), sed perperam; quod enim de seditionis auctore Iurisconsultus *Marcianus* (15), quod de coactis Hominibus ad eripiendam alteri possessionem *Iustinianus* edixit (16), conceptum propositum indicat, ut notat *Matthaeus* (17) illorum doctrinam hisce Legibus fultam rejiciens, ideoque ad subitae rixae auctorem applicari nequit; in hunc voluntas momenti quandoque, ut diximus,

„ ea, quae voluntaria sunt, aut necessaria in-„ terdum, aut certe ignorata videantur „.

(12) *Leg.* 1. *ff. ad leg. Corneliam de Sicariis* „ Quive Hominis occidendi, furtive faciendi „ causa cum telo ambulaverit „.

(13) *Leg.* 7. *ff. eod.*

(14) *Boss de inquisitione n.* 118., et caeteri cit. a *Farinac. quaest.* 125. *n.* 47.

(15) *In leg. ejusdem §. item qui author ff. ad leg. Cornel. de Sicariis.*

(16) *In leg. quoniam Cod. ad legem Iuliam de vi publica, vel privata.*

(17) *D. cap.* 3. *n.* 20.

argui potest, non tamen praecedens consilium (18), sive voluntas illa, quam integram, et plenam requiri ex Lege Cornelia observat *Noodt* (19) contra sententiam *Huberi* (20), atque hoc sensu intelligenda monet *Marciani*, sive *Hadriani* verba huc spectantia (21), ita quidem, ut ferrum, aut gladius non semper indicet caedem ex proposito admissam, sed tum denique cum „ neque impetus, neque rixa paret „ (22).

XXI. Non raro id evenit, ut plures ex improviso rixentur, unusque ex iis ignota manu pereat: Ubi rixae auctor sit cognitus, hunc homicidii teneri communis est

(18) In malis actionibus dolus quidem praesumitur, et Reo spectat excipere *ad text. in leg. frater Cod. ad leg. Cornel. de Sicariis*, *leg. si non convicii Cod. de injuriis*, *Renazz. d. cap.* 1. §. 18.; Verum non ita qualitates, quae crimen adaugent, quarum probatio pertinet Fisco *Raynald. d. cap.* 7. *supplet.* 2. *n.* 18., *Calderà decis.* 39. *n.* 11., *Giurb. consil.* 63. *n.* 15., *Creman. d. cap.* 5. §. 24.

(19) *Probabil. jur. lib.* 4. *cap.* 7. *n.* 2.

(20) Quam sequenti *cap.* 8. retundit, et confutat.

(21) *In d. leg.* 1. §. *Divus Hadrianus ff. ad leg. Cornel. de Sicariis* „ Sed si clavi percusserit, aut cucuma in rixa, quamvis ferro percusserit, tamen non occidendi animo, leniendam ejus poenam, qui in rixa casu magis, quam ex voluntate homicidium admiserit. „

(22) *D. cap.* 7. *n.* 4.

Doctorum sententia (23), non ideo tamen, ut pari poena plectatur, ac si constaret ipsum reapse occidisse, quemadmodum nonnulli autumant; simplex enim praesumptio in subita rixa, in qua pleraque casu, pauca committuntur consilio, non tanti videtur ponderis (24). Quod si plures percusserint, quoniam unicuique illud imputatur, quod fecit, ille homicidii tenebitur, cujus ictu periisse constiterit; omnes autem, quoties non constet (25), ita quidem, ut mitius, quam rixae auctor, puniantur caeteri; multo etiam mitius, quoties nec ipse auctor rixae probe sit cognitus; nam ubi nihil sine captione, ut ait *Noodt* (26), investigari potest, licet ratio politica suadeat poenam (27), sic tamen haec eligenda, ut minimum habeat iniquitatis.

XXII. At vero non unus, sed duo lethaliter vulneraverunt occisum, ita porro, ut

(23) *Menoch. de arbit. cas.* 362. *n.* 23., *Farinac quaest.* 96. *n.* 63., *Sanz. de re crim. controv.* 20. *n.* 10, *Clar. §. homicidium vers. alia est etiam defensio in fin.*, *Sabell. in summ. §. homicidium n.* 14.

(24) Vid. *Creman. d cap* 5. §. 21., *Renazz. d cap* 1 §. 19. *n.* 1., Matth. *loc. cit.*

(25) *Ad text. in leg. item Mela §. sed si plures ff ad legem Aquiliam.*

(26) *Ad legem Aquiliam lib sing. vers. ut dixi.*

(27) *Bannizz. system. jurisprud. crim. cap.* 12. §. 22.

secundum illatum vulnus exanimem confestim projecerit: *Ἀντινομίας* ex dissimili *Celsi* (28), et *Iuliani* (29) sententia conciliare studet *Matthaeus* (30), ut ambo scilicet homicidii teneantur, ubi liquido pateat ex primo etiam vulnere eum periturum, qui postea ex altero cecidit; secus vero, vulneris tantum, qui prius, homicidii qui vulneravit posterius; uterque pariter homicidii tenebitur, si utroque ex vulnere caesus perierit, forte ex alterutro non periturus. Quid autem, si vulneratus ruina deinde, vel naufragio, aut incendio perierit? Homicidii tenebitur vulnerans, ubi ex vulnere caesum periturum constiterit; si constare ob subsequens infortunium non potuit, vulneris tantum (31).

XXIII. Diximus homicidium simplex, quod etiam dolosum, vel voluntarium purum vocant, non solum ex rixa, verum aliis quoque ex causis emergere; rixa enim proprie intelligitur, cum duo, vel plures non se simpliciter conviciis lacessunt vicissim, sed actu certant, ideoque rixae auctor is verius dicitur, qui primus in alterum manus impingit, aut armis minatur (32): Cum ita-

(28) *In d. leg. item Mela §. Celsus ff. eodem.*
(29) *In leg. si ita vulneratus ff. eod.*
(30) *D. cap. 3. n. 19.*
(31) *Leg. huic scripturae ff. eod.*
(32) Rixa graece ἔρις ab ἐρίζω, *certo*; hinc *Tacit. histor. lib. 1. cap. 64.* „ jurgia primum,

que quis extra rixam, et pugnam injuria quavis affectus irascitur, et vindictam anhelans protinus in injurium irrumpit, ferit, caedit, aeque simplicis homicidii fit reus. Hoc autem pro qualitate injuriae plus, minusve imputatur: Minus profecto, cum Maritus ex: gr: deprehensam in crimine caedit adulteram Uxorem, vel Moechum, vel ambo (33); cum Pater Filii caedem interfe-

„ mox rixa inter Batavos, et Legionarios „ *Conciol. verb. provocatio resolut.* 2. *n.* 7. 8., *Farinac. quaest.* 125. *n.* 514., *et consil.* 6. *n.* 26.

(33) Ex Lege Iulia impune erat Marito occidisse adulterum vilis conditionis in ipsa turpitudine repertum domi suae, ubi impudentior injuria *Leg. Marito ff. ad Leg. Iuliam de adulteriis*, modo statim, ne connivens videretur *Leg.* 2. *ff. eod.*, Uxorem dimitteret, jure illam quoque necandi sublato, quod ex *Romuli* fortasse Lege prius vigebat, *Leg. si adulterium* §. *Imperatores ff. eod.*, *Leg.* 1. § *final. ff. ad leg. Corneliam de Sicariis*, *Gell. noct. attic. lib.* 10. *cap* 23. Patri pariter, qui sui juris esset, impune fuit occidere adulterum Filiae in ipso turpitudinis actu non tantum domi suae, sed etiam Generi, dummodo eodem tempore et Filiam occideret, ea quippe ratione, ut parcius, paterna pietate commotus, uteretur hoc jure *Leg. Patri*, *Leg. nec in ea*, *Leg. quod ait ff.*. *eod.*, *Gravin. de orig. jur. lib.* 2. *cap.* 86 Ad Patrem quod attinet, paterna effraenis auctoritas repressa fuit sub posterioribus Imperatoribus; Marito autem ulterius impunitatem *Iustinianus* in-

ctoris caede eodem quasi momento vindicat; idem dicendum, siquando furtum, vel damnum passi moderamen excesserint adversus audacem furem ipsa in flagrantia (34); Lictores pariter, cum simili modo tantisper excedunt in eos, qui mandatis legitimis resistunt temere; et caeteri omnes, quorum vel dolor justissimus, vel aliae quaecunque affectiones adeo perturbant animum, ut irae motus cohibere vix possint: Plus contra, cum ex levi qualibet injuria quis concitatur, atque illam vindicat furens; plus etiam, cum neque injuria praecessit, sed talem homicidae se praebuit, utpote qui natura hosticus, suspiciosus, et pervicax (35).

XXIV. Quandoquidem simplex homicidium a praemeditato in eo differre potissimum superius notavimus, quod alterum per-

dulsit, adeo quidem, ut ex ipso etiam praesumpto adulterio, ubicunque cum Uxore convenisset vilem adulterum, illum interficere posset *authentic. ut liceat novell.* 112. §. *his quoque*. Verum haec impunitas, quam Forum conscientiae respuit, neque in Foro civili nunc obtinere generatim videtur, ideoque Maritus, qui etiam in vera ipsa turpitudine interficiat adulterum, non omni poena solutus evadit *Brunneman. in d. Leg. Marito n.* 3., *Sabell. in summ.* §. *Maritus n.* 7.

(34) *Carmignan. elem. jur. crim. lib.* 1. *part.* 1. §. 138.

(35) *Paolett. d. tit.* 9. § . 2., ubi varia refert exempla.

turbatis adhuc ex ira fluctibus animi, pleno, ac maturo consilio committitur alterum, ideo definire nunc praestat, quandiu tranquillitas illa post tempestatem Παθημάτων animo restituta dici possit, ex qua plenam, et integram consilii maturitatem arguere liceat. Ardua aedepol quaestio: Neque enim *D. Pauli* praeceptum (36) id efficit, ut qua die quis gravi affectus injuria fuerit, ea ipsa, hora exacta duodecima, ad pristinam serenitatem animi redux omnino praesumi debeat, ut placet quibusdam, dum interim alii ex *Deuteronomio* (37) ad tertiam usque diem, ad decimam alii, quin etiam nonnulli ad trigesimam perturbationem animi perstitisse autumant (38), atque in hoc tandem fere conveniunt statui posse iracundiam extinctam, cum ad extraneos actus diverterit qui illam conceperat (39). Mihi quidem eorum opinio magis arridet, qui multum hac super re prudenti relinquunt arbitrio Iudicis, ut ex qualitate personarum, et facti decernat quid congruentius (40)?

(36) *Ad Ephes. cap.* 4. *v.* 26. „ Sol non oc- „ cidat super iracundiam vestram „.

(37) *Cap.* 9. *v.* 24.

(38) *Bosr. de homicid. n.* 62., *Tessaur. decis.* 178. *n.* 6., *Cortiad. decis.* 98. *n.* 73., *Farinac. consil.* 2. *n.* 8.

(39) *Raynald. d. cap.* 7. *n.* 56., *Giurb. consil.* 17. *n.* 16., *Farinac. consil.* 2. *n.* 16.

(40) *Menoch. de arbit. cas.* 361. *n.* 21., *Gras-*

Nam ad personas quod attinet non omnium eadem est indoles, non idem ingenium, non mores, ut quam brevi tempore quis natura lenissimus, ac probe educatus oblivioni tradit injuriam, aut spernit magnanimus, hoc ipso parvi eam fecisse, aut sprevisse praesumatur et alter nullius culturae, ac tristem fortasse, et reconditam nactus naturam (41): Facti pariter håbendam rationem dixi, ita quidem, ut non aeque consulto is deliquisse dicatur, qui casu obviam inimicum habens repentina commotus ira eum interficit (42), ac ille, qui tacitus vindictam anhelans arma parat, occasionem, et locum aggressioni opportunum quaeritat, eligit quoque, denique ea omnia studiose curat, et peragit, quae caedem jam sibi cogitate propositam evidenter ostendunt.

XXV. Atque inde in alteram non minus arduam quaestionem descendere liceat, cui

sett. d. §. 2. *n.* 9., *Creman. d. cap.* 1. §. 20., *Paolett. d. tit.* 9. §. 3.

(41) „ Quid enim (ait *Creman. loc. cit.*) si „ furor quidem desierit, non item occultus „ dolor, qui interdum tantus est, et tam „ diuturnus, ut vel levissima verba, aut „ etiam inimici dumtaxat aspectus Hominem subito praecipitem agere valeant? Quo „ jure hunc Hominem iis aequiparare licebit, quibus dolus ex proposito objicitur „?

(42) *Farinac. quaest.* 126. *n.* 215., *Raynald. d. cap.* 7. *n.* 101.

classi videlicet referendum sit homicidium, quod in duello solemni forma condicto interdum committitur; quod enim, dum adhuc flagrat injuria, iis aequiparatur, quae in rixa (43). Duellum, quod Ius canonicum graeco vocabulo monomachiam vocat (44), sic definitur „ certamen, quod duo titulo „ reparandi honoris, et propulsandae ca„ lumniae, missis ultro, citroque libellis, „ ad locum, et diem certum convenientes, „ armis lethiferis a provocato electis com„ mittunt „ (45). Ex tali apparatu satis evincitur praecognitum jam, et praecogitatum fuisse quodcunque hinc damnum advenerit, seu vulnera scilicet, seu mors. Quid ergo? Ubi mors subsequatur, praemeditatum ne idcirco homicidium dicemus quo sensu praemeditata homicidia generatim persequitur patria Lex? Equidem dubito, sive ipse, qui provocavit, homicidii sit auctor, seu provocatus (46). Donec falsa honoris, et ignominiae opinio dominabitur, sceptrumque tenebit in ferrea, ac tetra temporum calamitate, et caligine abreptum, ipsis invitis Legibus, et Religione (47), vix erit, ut eos, qui

(43) *Farinac. quaest.* 119. *n.* 24.
(44) *In can. monomachiam caus.* 2. *quaest.* 4.
(45) *Creman. d. lib.* 2. *cap.* 5. *artic.* 10. §. 2.
(46) Quos inter nullum hac super re discrimen intercedere ostendit *Matth. d. cap.* 3. *n.* 8. illorum doctrinam rejiciens, qui aliter senserant.
(47) *Wattel. jur. Gent. lib.* 1. *cap.* 13. §. 176.

honoris Causam „alta mente repostam„ specie veri decepti, duello committentes adversarium interimunt, caeteris comparandos putem, qui turpiter pleno, ac meditato consilio idem perpetrant crimen (48). Siquando ista ignominiae, et honoris opinio falsa recesserit tandem, et morum antiqua redux disciplina id praestiterit, ut injuriam intulisse infamiae, sprevisse fortitudini animi tribuatur, et ipsi quoque fortissimi Viri Magistra-

Fere ubique in Europa exstant Leges, atque etiam severae contra duella, quae tamen penitus exstirpata non sunt, cum obstet opinio. Apud Nos patria Lex 18. *Septembris* 1634. infamiam, et mortem indixit non solum certantibus, verum etiam Iudicibus, et Testibus; ipsi quoque conatui eandem statuit poenam, quem postea mitius plecti voluit altera Lex 15. *Ianuar.* 1744. §. 5 Canones pariter, Pontificia Decreta, et *Tridentinum Concilium cap.* 19. *sess.* 25. severis indictis poenis duella vetuerunt, quae temporum ignorantia, et barbaries, ut veritas Deo opitulante patesceret, introduxerat, ideoque Iudicia Dei dicebantur *Filanger. Scient. legislat. lib* 3. *part.* 1. *cap.* 11.

(48) Ad praemeditationem quod spectat, en verba patriae Legis 30. *August.* 17.5 §. 13. „ Tutti gli omicidj commessi con matura, e „ antecedente deliberazione, e consiglio. „ quae quidem consulta maturitas dubito, ut dixi, num statui, ac cerni possit in iis, qui honorem specie veri decepti reparare duello certant.

tum adire sapientius ducant; quam sibi violenter jus dicere, exiguique, atque infirmi animi, qualis est Foeminarum (49), vindictam existiment (50), tunc sane duella, utpote Hominum sanguinis ferarum instar sitientium, subsequentia vulnera, et caedes ad atrociorum scelerum classem referre non dubitabo.

XXVI. Altera subit nunc quaestio: Quid dicendum de iis, qui se ipsos interimunt? Non ego hic Heroidas memorem, quas periclitanti pudicitiae mortem ultro praeposuisse refert Historia Ecclesiastica; has quippe Divino Afflatu id egisse communis est Patrum sententia (51), quarum exemplum imitatam fuisse strenuam legimus Aquilejensem Mulierem, atque *Attilae* sic frustratam libidines (52): Has itaque praeteriisse liceat. Cae-

(49) Ita *Iuvenal. sat.* 13.
. . . . plurima felix
Paulatim vitia, atque errores exuit omnes
Prima docens rectum sapientia; quippe minuti
Semper, et infirmi est animi, exiguique voluptas
Ultio; continuo sic collige, quod vindicta
Nemo magis gaudet, quam Foemina....

(50) *Maffej. opusc.*, cui titulus „ Scienza ca„ valleresca „ qui *lib.* 2. *cap.* 5. profunda eruditione suo more materiam exornat.

(51) *Engel. colleg. univers. Iur. canon. lib.* 5. *tit.* 12. *n.* 12.

(52) *Sigon. Imper. Occident. lib.* 13.; Haec ex alto se dedit praecipitem sic instantem af-

terum enimvero, cum vita nihil sit carius Hominibus, utpote quae bonum omnium majus, quod servare Natura alte praecipit, eos insanire fatendum est, eorumque facultates animi valde aegrotare quo momento sibi mortem consciscunt, sive porro dolor, seu dedecus, aut alia quaecunque affectio, vel angor, ipsa etiam conscientia criminis usque adeo in furorem illos inducant, ut vitam oderint: Ipsos delirasse doctrinae Stoicorum sectatores equidem puto, cum αὐτοχειρίαν probantes fortitudini animi hujusmodi insaniam tribuerint; vere enim fortis, virtute excellens, et praestans ille est, qui sortem irridens quamlibet in adversis immoto, atque imperturbato animo perstat (53). Hoc igitur statuendum arbitror, ut alibi dixi (54), Αὐτόχειρα commiseratione dignum, nec amplius: Poenae sepulcrales, quae *Platoni* arriserant (55); quae pariter, Milesiis Virginibus indictae fuerant,

fata Tyrannum „ sequere me, si me vis possidere „; Vid. *Cromatian. suicid. cap.* 6. §. 5.

(53) *Creman. d. cap.* 5. *artic.* 9., *Servin. legislat. crim. lib.* 1. *cap.* 4. *artic.* 5. §. 1.; Hoc ipsum docuit *Metastas. in Iustin. act.* 5. *scen.* 3.
Nè crediate, che il dare a se la morte
Impresa sia di generoso cuore;
Perchè chi per dolor fugge la vita,
Non ha valor di superar gli affanni.

(54) *Lib.* 1. *cap.* 6. §. 102. *not.* 23.

(55) *Dialog.* 9. *de Legibus*; sepultura videlicet solitaria, deserta, sine nomine, statua, inscriptione.

quas tunc juxta Gentium Religionem, et mores profuisse ex *Plutarcho Gellius* refert (56), nunc risum excitarent, atque etiam indignationem, nec tamen mederentur insaniae.

XXVII. Idem dicendum existimo ad conatum quod attinet: Sive enim conscientia criminis, atque ad publicam evadendam poenam, sive ex alia quacunque animi perturbatione vim sibi quis furens intulerit, furentem punire nefas: Culpa vacuus custodia dignus, non poena, quae animi aegritudinem augeret, ideoque ad iterandum conatum impelleret: Par decet custodia in criminis insimulatum, quem horror conscius aestuante culpa, vel supplicii infamis aspectus in eum fortasse furorem perduxerit, conatum plectere, ut dixi, non decet; indicium tamen hinc elici poterit patrati sceleris, quatenus neget, non secus ac, si evadere carcere effracto conatus fuisset (57). Quod aliter Ius Romanorum statuerat, ignominia videlicet remittendos insontes, morte sontes plectendos (58), Tribunalia nostra rejecerunt jamdudum (59).

(56) *Noct. Attic. lib.* 15. *cap.* 10.; nudae efferebantur eodem cum laqueo, quo se suspenderant.
(57) *Raynald. d. cap.* 7. §. 14. *n.* 32.
(58) *Leg. siquis aliquid §. final. ff. de poenis, leg. omne delictum §. qui se vulneravit ff. de re militari.*
(59) *Paolett. d. lib.* 3. *tit.* 17.; Vid. quae diximus *lib.* 1. *cap.* 5. §. 102.

XXVIII. Si vero non vitae, sed membris vim, et injuriam quis fecerit eo quidem consilio, ut damnum utilitate quadam, aut lucro rependeret, hunc sane puniendum nemo est, qui dubitet. Huc pertinent, qui ad evitandos labores, et pericula belli, aut alia quaelibet officia publica (60) se ipsos debilitant, digitos, pollicem praesertim sibi recidunt, ideoque murci, vel murcidi a *Murcia* fortasse dicti segnium Dea, cui publica sacra falsa Romanorum Religio faciebat, ut *D. Augustinus* testatur (61); ipse etiam simulatus languor punitur in Milite (62); quemadmodum Pater punitur, qui debilitaverit Filium militiae conscriptum (63). Huc illi pariter pertinent, qui adversus Naturam ingrati virilitatem sibi, aut aliis praecidunt: Castorem amphibium animal id ipsum, ut ajunt, facere nil mirum; venatorum enim insidias non aliter evadere posset (64). Ast Homo, qui promercii, ut ait *Paulus* (65), aut libidinis

(60) *Raynald. d. §. 14. n. 38., Decian. tractat. crimin. lib. 9. cap. 2. n. 5.*
(61) *De Civitate Dei lib. 4. cap. 16.*
(62) *D. leg. omne delictum §. exploratores.*
(63) *Leg. qui cum uno §. eum ff. eod., Sveton. in August. cap. 24.*
(64) Hinc *Iuvenal. sat. 12.*
. . . . . , imitatus Castora, qui se
Eunuchum ipse facit, cupiens evadere, damno
Testiculorum . . . . , .
(65) *Lib. 5. sentent. tit. 23. §. 13.*

causa, aut alia quacunque, infirmitatis excepta (66), usque eo injurius Naturae fuerit, ut, quod summo dono ad speciem servandam ipsa destinarat, projecerit, valde profecto delinquit; ideoque in hoc facinus cautum severe legimus apud Romanos (67), ubi luxurie grassante frequentissimum adeo fuit, ut etiam inviti castrarentur pueri ad libidinem; hinc *Martialis Domitianum* collaudat (68), qui ipse quoque, licet obscenissimus, huic facinori Lege speciali providerat (69). Circumcisio tandem huc pertinet ex Romanorum Iure, ut habemus a *Modestino* (70) „ Circumcidere Iudaeis Filios suos „ tantum rescripto Divi Pii permittitur; at „ in non ejusdem Religionis Hominem, qui „ hoc fecerit, castrantis poena irrogatur „;

(66) *Brunnemann. in leg.* 1. *Cod. de Eunuchis*.
(67) *Leg. si servus* §. *et si puerum ff. ad legem Aquiliam*, *leg.* 4. 5. *et* 6. *ff. ad leg. Corneliam de sicariis*, *leg.* 1. Cod. *de Eunuchis*.
(68) *Epigram.* 2. *lib.* 6.

Lusus erat sacrae connubia fallere taedae,
 Lusus et immeritos execuisse mares;
Utraque tu prohibes, Caesar, populisque futuris
 Succurris, nasci quos sine fraude jubes.

et 7. *lib.* 9.

Non puer avari sectus arte Mangonis
Virilitatis damna moeret ereptae;
Nec, quam superbus computet stipem leno,
Dat prostituto misera mater infanti.

(69) *Sveton. in Domitian. cap.* 7.
(70) *In leg.* 11. *ff. ad leg. Corneliam de sicariis*.

utcunque haec non aeque Naturae injuria sit, ratio tamen politica suadere videtur, quemadmodum suasit Romanis, ut quocunque consilio id egerint, qui nostram Religionem profitentur, impune illis non sit.

XXIX. Publicum opus, quod poenae deportationis successit (71), statutum est ex Legibus nostris homicidio simplici, ubi voluntas adversus caedentem argui possit juxta ea, quae superius notavimus; quod vero praeter exspectationem advenerit mitius punitur; mitius pariter, ubi subita in rixa inter plures homicida ignoretur, vel ubi justo dolore ex adhuc flagranti gravissima injuria quis concitetur: Vulnerum poena ex eorum qualitate, et armorum, quibus illata fuerint, supputatur, ita quidem, ut relegatione, aut exilio plectatur vulnerans, si graviter, aut armis lethiferis laeserit, secus, pecuniaria multetur (72). Quid Ius Romanorum sauxerit infra videbimus, cum de praemeditato homicidio dicendum erit, cui refertur praecipue Cornelia Lex. Murci ex *Constantini* Lege addicebantur Curiis (73); flammis tradi eos jussit *Valentinianus* (74); caligatus, qui metu hostium simulasset languorem,

(71) Ut notavimus *lib.* 2. *cap.* 12. § 68.
(72) *Cod. Leopold.* § 68. 72., *Leg.* 30. *August.* 1795. § 14. 15. 16. 17.
(73) *Leg.* 1. *Cod. Theodos. lib.* 7. *tit.* 22.
(74) *Leg.* 5. *tit.* 13. *Cod. eod.*

plectebatur capite (75); Patri, qui Filium debilitaverat ad evitandam militiam, deportationem *Trajanus* decrevit (76). Ultimo supplicio plecti *Hadrianus* voluit eos, qui virilia excidissent, sicut et ipsos excisos, qui ultro se praebuissent (77); hoc ipsum in eos, qui eunuchos fecissent, *Constantinus* edixit (78), quos postea talionis poena, et gypsi plecti *Iustinianus* voluit, si masculi, exilio, si foeminae id perpetrassent, quae exilii poena adversus ipsos eunuchos, qui sponte se evirationi obtulissent, statuta jam fuerat; fere enim omnes ex negligentia fortasse, aut inscitia sectorum peribant (79). Nunc vero, ad militiae ascriptos quod attinet, Codex militaris opportunius providet; in reliquos poenae extraordinariae obtinent (80), nec autem talio, quam quidem, ut *Iustinianus* instituit, non recte Naturae consuluit, ac rationi politicae.

(75) *D. leg. omne delictum.*
(76) *D. leg. qui cum uro.*
(77) *D. leg. 4. et 5. ff. ad leg. Corneliam de Sicariis.*
(78) *D. leg. 1. Cod. de eunuchis.*
(79) *Authentic. collat. 10. constit. 142.*
(80) *Menoch. de arbit. cas. 570. n. 16.*

CAPUT IV.

De homicidio praemeditato.

XXX. Quod pleno, ac maturato consilio homicidium committitur, hoc praemeditatum dici jam supra monuimus: Proditio, aut insidiae nonnunquam junguntur sceleri: Proditor is proprie est, qui amicitiam simulans, inimicitiam dissimulans caedit quem oderat nihil id pertimescentem, sive porro nulla inter eos manifesta amarities praecesserit, vel, si interfuerat, inita pace plene remissam homicida simulaverit perfidus (1): Ex insidiis occidit, qui id omne curat, ut incautum, nec se defendendo parem, tute, ac secure aggredi possit; insidiis addetur proditio, ubi, quae supra notavimus, huc quoque conveniant; in eo enim haec duo differunt, quod in altero qualecunque inimicitiae vestigium latescat, aut signum, ex quo sibi cavere occisus debuerit (2); quapropter latius prodidisse etiam dicitur, qui

(1) *Raynald. observat. crim. cap.* 8. §. 3. *n.* 109., *Sabell. in summ.* §. *homicidium n.* 8., *Renazz. d. lib.* 4. *part.* 4. *cap.* 2. §. 2. 3.

(2) *Bartol. in leg. respiciendum* §. *delinquunt ff. de poenis n.* 1., *Angel. de delictis part.* 1. *cap.* 67. *n.* 4., *Bajard. ad Clar.* §. *homicidium n.* 25.

naturali inter Homines cognationi fidentem interimit (3).

XXXI Qualitates autem hujusmodi, quae crimen summopere adaugent, non praesumuntur, sed earum probatio, quemadmodum alibi dixi, pertinet Fisco: Et quoniam, ut *Aristoteles* ait (4), nihil est sine causa, ideo ut haec innotescat, et pateat, incumbendum potissimum; neque porro, etsi levis interdum, nec tanto respondere facinori fortasse videatur, id plurimi refert, ubi caedem admissam fuisse liquido constet (5); pravitas enim Rei proportionis defectum implevisse tunc dicitur, praesertim si non adeo lenem naturam fuerit nactus, ut nihil amplius (6).

XXXII. Cum vero qualitas probata fuerit, nil occisori prodest, si forte in personam erraverit; neque enim error, qui accessit extrinsecus, quid turpitudinis crimini detrahit, qua inquinatur intrinsecus: Hominem scelestus deliberavit occidere; propositi tenax occidit etiam; quid refert, si Ti-

(3) *Simon. de delict. mer. affect. part.* 2. *cap.* 11. §. 6. *; dissentire videtur Renazz. d. cap.* 2. §. 4.

(4) *Rhetoric. lib.* 2. *cap* 23.

(5) *Farinac. quaest.* 52. *n.* 152.

(6) *Nan. de indiciis cap.* 5 „ inimicitiae causa non solum, qualis in genere est, debet „ perpendi, sed est aestimanda ex ejus, qui „ inimicitiam contraxit, indole „.

tium, quem oderat, credens, interemerit Cajum? Id ipsum docuit *Paulus*, dum injuriarum Sejo teneri eum dixit, qui ipsi injuriam intulerat, Lucium putans (7): Textus haud recta intelligentia hallucinati aliter nonnulli sentiunt; qui liberum caedit, quem suum servum putabat (8); qui servum pariter suum dum pugno vult petere, astantem invitus petit (9), in pari causa non sunt, ut illi autumant, cum dolo careat qui jure suo utitur; recte itaque non injuriarum, sed Aquiliae uterque tenetur; non aeque recte, qui dolo agit (10): Quin etiam nec in ipso homicidio simplici prodesse poterit error, quoties nihil ex errore decrescat prava criminis indoles, quae summopere tamen decresceret, evanesceret quoque, si defensionis necessitate coactus iniquum aggressorem quis repulsurus praetereuntem invitus laederet (11). Contra autem prodesse poterit error, ubi qui erravit severiori aliter poena puniendus foret; propterea culleum

(7) *In leg. eum qui §. si injuria ff. de injuriis.*
(8) *Leg. illud §. final. ff. eod.*
(9) *Leg. si cum servo ff. eod.*
(10) *Bartol. in d. §. delinquunt n. 7., Matth. d. cap.* 3. *n.* 12., *Grassett. anatom. nec. prodit. §.* 23. *n.* 38., *Conciol. verb. occisio resolut.* 1.
(11) *Leg. scientiam §. qui cum aliter ff. ad leg. Aquiliam, Renazz. d. part.* 4. *cap.* 1. §. 14. *n.* 2.

evadet Filius, qui Patri insidians extraneum perimit, vel Patrem, dum insidiabatur extraneo (12).

XXXIII. Causa, quae ad scelus impulit, sub conditione posita quandoque esse potest, cum quis videlicet homicidium deliberat, quoties non id consequatur, in quod animo intendit; ubi ex acriori fortasse repulsa caedes patrata fuerit, deliberatae caedis actione homicidam nequaquam argui posse nonnulli existimant (13); falluntur tamen, ut mihi videtur: Neque enim interfecti repulsae, quaecunque illa fuerit, id tribui potest, ut praeconceptum propositum nunquam extitisse dicamus; extitit autem; deliberatum igitur fuit homicidium (14).

XXXIV. In subita rixa inter plures exorta unumquenque teneri de eo, quod fecit, supra monuimus: Id porro non ita se habet, ubi inito inter eos, et constituto consilio, aut in rixa eo fine excitata, aut extra rixam Homo caedatur; tunc enim omnes aeque tenentur, sive uno ex vulnere, sive ex pluribus ipse perierit, cum explorati sit juris ea, quae communi consi-

(12) *Carpzov. pract. crim. quaest.* 18. *n.* 14., *Creman. de jure crimin. lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 8. §. 3., *et lib.* 2. *cap.* 5. *artic.* 6. §. 8.

(13) *Raynald. sup. cit. cap.* 7. *n.* 114.

(14) *Grassett. d.* §. 23. *n.* 86., *et in addit. n.* 136.

lio admittuntur, singulos obligare in solidum (15). Quia porro, ad poenam quod attinet, licet unus praestiterit, caeteri, ut ait textus (16), non liberantur, ideo dubitatum a nonnullis est, num laqueo suspendi omnes debeant, qui multi numero convenerunt in scelus: Peccantium turbam tollere iram Sapienti *Seneca* scripsit (17); multorum enim supplicium ipsa ratio politica respuit (18), ne, quod ad exemplum institutum est, in adversum agat: Illorum itaque sententiam libenter sequimur, qui paucos, et scelestiores, mitius coercitis reliquis, tradendos monent Carnifici (19), nec ultra fortasse, quam tres, ut apud Nos constitutum tradit *Sabellus* (20), licet ipse quandoque modum nequaquam servasse fateatur aliorum secutus exemplum (21).

XXXV. In seditionis auctorem, et in

(15) *Ad text. in leg. si ita vulneratus §. final. ff. ad leg. Aquiliam, leg. vulgaris § si duo ff. de furtis, Bartol: in leg. qui servo §. si duo ff. eod., Raynal.* d. *cap.* 7. *n.* 124., *Sabell. in summ. § homicidium n.* 14.

(16) *In leg. item Mela §. sed si plures ff. ad leg. Aquiliam.*

(17) *De ira lib.* 2. *cap.* 10.

(18) *Burlamaq. droit polit. part.* 3. *chap.* 4. §. 39. *n* 3.

(19) *Farinac. quaest.* 96. *n.* 10., *Conciol. verb. poena resolut.* 10.

(20) *Practic. crimin. §. omicidiarj n.* 47.

(21) *In summ. §. homicidium n.* 14.

eum, qui coactis Hominibus ad possessionem alteri eripiendam vim fecerit, vindicanda homicidia, quae inde advenerint, Romanorum Ius voluit (22), et merito quidem, licet nec ipsi haec perpetraverint, nec perpetranda conceptis verbis consilium inierint: Cum enim hujusmodi scelera sine caedibus absolvi, ac perfici vix propemodum possint, ideo, si non explicitum, implicitum tamen in auctores propositum arguere jure licebit, id omne eos voluisse, quod necessarium ad confectionem facinoris: Caeteros, primariis exceptis, mitius puniendos diximus; nec autem quidquam iis imputabitur, qui iniqua id generis ausa vim vi repellendo superare contenderint, nisi forte modum excedant.

XXXVI. Poena mortis infami patibulo apud Nos manet praemeditati homicidii reos (23); opere publico puniuntur vulnera, praesertim si gravia, aut igneis armis patrata; relegatione leviora; ipse etiam conatus igneis armis ad actum perductus proxi-

(22) *Leg. ejusdem §. item qui ff. ad leg. Cornel. de Sicariis, leg. quoniam Cod. ad leg. Iuliam de vi publica.*

(23) Ubi proditio jungatur crimini, quoniam turpitudine quadam majori illud obruit, furca pendendos nobili genere Reos, qui aliter juxta Leges Regionum securi plecti debuissent, tradit *Bald. in cap. cum quidam de jurejurando.*

mum opere publico plectitur (24): Haec autem arma, utpote opportuniora ad insidias (25), non, nisi publicae Auctoritatis placito, deferre licet, sive ignis vi, sive etiam aeris lethiferam explodant materiam; vetitum pariter deferre sicas, arma ipsa quoque ad caedem aptiora, pecuniariis alterutro in casu indictis poenis (26): Sicam nunc intelligimus brevioris mensurae cultrum, apud Latinos vero parvulum retortum ensem, ut facilius lateret sub vestibus, quo armati scelesti ad caedem proni incedebant; atque hinc Sicarii nomen Romanorum Ius duxit (27): Hoc genus Hominum, genus audax, ut ait *Cicero* (28), et saepe in caede versatum, peculiari modo voluit persequi Cornelia Lex:

(24) *Leg.* 30. *August.* 1795. §. 13. 16 17.

(25) In quae, et artificem primum haec iratus effundit *Homerus Italus lib.* 9.

Oh maledetto, oh abominoso ordigno,
Che fabbricato nel Tartareo fondo
Fosti per man di Belzebù maligno!

Lib. 11.

Che ben fu il più crudele, e il più di quanti
Mai furo al Mondo ingegni, empj, e maligni,
Chi immaginò sì abominosi ordigni.

(26) *Leg.* 22. *Ianuar.* 1737. §. 12. 13. 14., *Cod. Leopold.* §. 102.

(27) §. *item lex Cornelia instit. de publicis Iudiciis, ubi Glossa*

Mucro latens sica, Sicarius inde vocatur,
Gravin de orig. Iur. lib. 3. *cap* 103.

(28) *In orat. pro Sext. Rosc. Amerino cap.* 14.

Poena ex ipsa Lege statuta interdictio aquae, et ignis fuerat, non deportatio, ut scripsit *Marcianus* (29); haec enim ad posteriora tempora pertinet (30), iisque fortasse accommodavit sanctionem Iurisconsultus, ut putat *Leggius* (31): Verum nec deportatio *Marciani* tempore generatim vigebat in caedum hujusmodi reos; humiliores enim vel bestiis objiciebantur, vel tollebantur in crucem; secundi gradus Homines plectebantur capite; et solum in honore aliquo positi deportabantur in Insulam (32): Progressu autem temporis poena mortis in omnes indiscriminatim obtinuit (33); et capitale etiam hoc scelus fuisse (34) primis Romae temporibus ex Lege *Romuli*, aut *Numae* secundum *Festum*, *Heineccius* observat (35), quam postea in Decemvirales relatam hujus fortasse tenoris refert *Gravina* (36), sicut et ipse *Hei-*

(29) *In leg. ejusdem §. legis ff. ad leg. Cornelium de Sicariis.*

(30) *Heinecc. antiquit. Roman. lib. 4. tit. 18. §. 58.*

(31) *Al Matth d. cap. 3. n. 1.*

(32) *In d. leg. ejusdem, leg. qui caedem ff. eod., Paul. lib. 5. sentent. tit. 23. §. 1.*

(33) *Leg. nemo deinceps §. patiatur Cod. de Episcopali Audientia.*

(34) Quemadmodum capital fuit apud Hebraeos *Exod. cap. 21. v. 14.*

(35) *D. tit. 18. §. 57.*

(36) *De orig. Iur. lib. 2. cap. 62.*

neccius „ Siquis liberum Hominem dolo ma„ lo sciens morti duit, parricida esto „, parricida enim idem significabat, quod capital. Quae vero homicidia in repentina animi perturbatione patrata fuissent, ea citra mortem coercuisse Romanos, opere videlicet perpetuo, deportatione, relegatione, exilio, ex ipsis illorum Legibus ostendit *Matthaeus* (37).

CAPUT V.

De Parricidio.

XXXVII. Parricida esto, et capital esto idem olim significasse diximus; hinc *Cicero* furem sacrilegum capitali poena puniendum parricidam vocavit (1): Parricidii nomen primis Romae temporibus usitatum, ut supra vidimus, a caede Patricii, idest liberi Hominis, morte expianda, *Filangerius* ducendum credit (2); nulla enim Lex adhuc in Parentum interfectores lata fuerat, ut habemus a *Valerio Maximo*, qui contra hu-

(37) *D. cap.* 3. *n.* 4.
(1) *De Legibus lib.* 2. *cap.* 9.
(2) *Scient. Legislat. lib.* 2. *cap.* 50.; *Catilinam* Civium interfectorem parricidam vocat *Cicero orat. in L. Catilinam* 1. *cap.* 12.

jusmodi Reos non, nisi post *Tarquinii* tempora cautum ait (3), ita quidem, ut quae Lex contra impiam hanc caedem in XII. Tabulas exstat, vel ad ipsos Decemviros, vel saltem ad postrema Regum tempora pertineat: En verba Legis „ Qui Parentem „ necassit, caput obnubito, culleoque insu- „ tus in profluentem mergitor „ (4). Acturi de hoc nefando scelere, quod posterioribus Legibus ad quosdam etiam cognationis, et affinitatis gradus productum est, ideoque in proprium, et minus proprium initio hujus Libri divisimus, de proprio primum sermonem faciemus.

XXXVIII. Proprium itaque parricidium caedem intelligimus, quam Filii, aut Nepotes in Parentes, aut caeteros Ascendentes in linea recta committunt, hanc quippe exquisitiori supplicio, culleo scilicet, more majorum plectendam *Modestinus* monet (5): Immanissimum profecto scelus, quod morte iterata, si possibile esset, puniendum dixerat *Plato* (6), quodque in pristina mo-

(3) *Lib.* 1. *cap.* 1.
(4) *Gravin. d. lib.* 2. *cap.* 63.
(5) *In leg. poena ff. ad Leg. Pompejam de parricidiis*.
(6) *Dialog.* 9. *de Legibus*. Non enim semel peccatur, ait *Cicero paradox.* 3., sed „ multa peccantur in Patris vita violanda: Violatur is, qui procreavit; is, qui aluit; is, „ qui erudivit; is, qui in sede, ac domo, „ atque in Republica collocavit „

rum simplicitate, siquando auditum, portenti, ac prodigii instar habebatur, ut *Cicero* ait (7), ideoque *Solonem* collaudans, quod nihil de parricidio sanxisset neminem hoc ratus ausurum, sapientissime fecisse dicit „ ne non tam prohibere, quam admo- „ nere videretur „ (8); id ipsum de *Romulo* notat *Plutarchus*, qui caedem Parentum silentio praeteriens omne homicidium sub parricidii nomine comprehenderat, quod „ „ hoc scelestum, illud ne existere quidem „ posse judicaret „ (9): Ea fortasse ratione *Augustus* non, nisi confessos cullei poena parricidas affici voluit, ipse idem hac callida usus interrogatione „ certe Patrem tuum „ non occidisti „, ut testatur *Svetonius* (10); hinc apud Persas spurius habebatur Filius, qui scelus hoc perpetrasset (11).

XXXIX. Cum nullum aliud sit majus Patre mactato nefas, ut *Seneca* ait (12), atque inde vix posse percipi patratum scelere nonnulli crediderint, ideo indubiam hac super re probationem Iurisconsulti requirunt (13), quod olim non, nisi plene confessi, insuerentur: Hinc poenam ordinariam

(7) *In orat. pro Sext. Rosc. Amerino cap.* 13.
(8) *D. orat. cap.* 25.
(9) *In vita Romuli*.
(10) *In August. cap.* 33.
(11) *Gravin. d. lib.* 2. *cap.* 25.
(12) *In Oedip. act.* 1.
(13) *Matth. lib.* 48. *ff. tit.* 6. *cap.* 1. *n.* 6., *De-*

evadere posse Filium plerique autumant non solum in discrimine vitae, quam tuendam ipsa Naturae Lex praecipit, verum aliis etiam ex causis, quae vehementem adeo dolorem afferant, ut illo affectum quasi ad furorem incendant; si Pater ex. gr. calumniatus fuerit Filium, sic *Matthaeus* (14) „ „ furiosum non curaverit; captivum non „ redemerit; Nurui, aut Concubinae Filii se „ miscuerit; insidias vitae Filii fecerit; nul- „ lius peccati sibi conscium vi aperta peri- „ mere tentaverit „: Ex hisce itaque causis, ex quibus, atque aliis etiam exhaeredari poterat Pater (15), cujus potestas „ in „ pietate debet, non in atrocitate consi- „ stere „, plerique, ut dixi, sicut et ipse *Matthaeus* quid poenae remittendum existimant Filio (16): Alii contra, ut Philosophi,

cian. tractat. crimin. lib. 9. cap. 15. n. 1., Caravit. instit. crim. lib. 4. §. 1. cap. 61. n. 21., Creman. d. artic. 6. §. 7., Renazz. d. part. 4. cap. 5. §. 6., Vid. Cic. loc. cit. cap. 22.

(14) *D. tit. 6. cap. 2. n. 12.*

(15) *Authentic. collat. 8. tit. 12., seu Novell. 115. §. si vero contigerit.*

(16) *Bartol. in Leg. Divus ff. ad leg. Pompejam de parricidiis, Menoch. de arbit. cas. 356. n. 31. et seq., Farinac. quaest. 120. n. 169., De Amen. de delict. et poen. part. 3. tit. 7. §. 8. n. 4. et seq., Caball. resolut. crim. cas. 15. n. 10., Sabell. in summ. §. parricidium n. 1. 4., Raynald. observat. crim.*

vix defensionis vitae necessitatem excludunt, quin etiam neque illam *Plato* (17). Mitiorem sententiam amplecti persaepe placuit Tribunalibus nostris, ubi non ex intervallo, sed in subita animi perturbatione ex vehementissimo dolore excitata patrata fuisset caedes. Quod autem praemio dignum, non poena *Marcellus* dixerit Filium (18) interfectorem Patris, qui ad Patriam delendam hostili animo veniat, neque *Matthaeus*, nec reliqui Iurisconsulti, nec ipse quidem probandum existimo.

XL. Quia porro Pompeja Lex Naturam tuetur, hinc parricidii tenentur aeque, ac legitimi, Filii naturales, atque etiam ex damnato coitu geniti, qui scientes deliquerint: Non aeque tamen illi tenentur, quos publicum procreaverit scortum, cum semper eorum incertus sit Pater (19): Multo minus proprii parricidii argui poterit Filius

cap. 6. §. 1. *n.* 26., *Renazz. d. cap.* 5. §. 6. *n.* 3., et alii.

(17) *D. dialog.* 9. *de Legibus* „ cui ne pro de„ fensione quidem sua, si a Parentibus videt „ se interfecturum iri, Lege ulla conceditur, „ ut Parentes, a quibus in lucem editus est, „ interimat „.

(18) *In Leg. minime ff. de relig. et sumpt. funerum*. Vid. quae dixi *lib.* 2. *cap.* 10. §. 57.

(19) *Boehmer. elem. jurisprud. crim. sect.* 2. *cap.* 21. §. 242.; *Matth. d. cap.* 1. *n.* 2., *Renazz. d. cap.* 5. §. 2.

lem, Patruum, Avunculum, Amitam, Materteram, Consobrinum, Consobrinam, Virum, Uxorem, Generum, Nurum, Socerum, Vitricum, Privignum, Privignam, Patronum, Patronam (25): Ascendentibus tamen in linea recta exceptis, parricidium in caeteros minori plectendum supplicio *Modestinus* ut supra monuit (26): Hos itaque parricidii minus proprii teneri diximus, quibus *Marcianus* addidit Matrem, quae Filium, Filiamve, Avum, qui occidisset Nepotem: De Patre, qui Filium interfecisset, siluit Pompeja Lex, cum adhuc paternum vigeret ferox jus illud ad necem usque castigandi Liberos, ut notat *Bynkershoekius* (27), quo paulatim sublato mitescentibus moribus sub *Trajano*, *Hadriano*, qui etiam jus idem Dominorum in Servos sustulit (28), et sub posterioribus Imperatoribus, *Constantinus*

(25) *Leg.* 1. *ff. ad leg. Pompejam de parricidiis*.

(26) *Leg. poena parricidii* §. *qui alias ff. eod.*, qua solvitur quidquid hac de re subobscurum prae se ferebat *Lex* 1.

(27) *De jure occidendi Liberos cap.* 3.

(28) *Spartian. in vita Hadriani cap.* 18. Ad Filios quod attinet vid. *Trajani*, *Hadriani*, et *Alexandri* Rescripta in *leg. ult. ff. si a Parente quis manumissus*, *leg. Divus ff. ad leg. Pompejam de Parricidiis*, et *leg. si filius Cod. de patria potestate*: Vid. etiam *leg. inauditum ff. ad leg. Cornel. de Sicariis*.

tandem Lege speciali Parentes, qui Filios occidissent, proprii parricidii poena puniendos edixit (29): Verum enimvero, cum ratio par non omnino intercedat has inter personas, Parentibus enim Filii debent amorem, et reverentiam, amorem tantum Filiis Parentes, hinc, ubi in Filii caede qualitates absint, quas crimen aliunde gravare superiori capite diximus, nunquam eadem, qua Filius, poena punietur Pater (30); qualitates tamen hujusmodi procul dubio interveniunt, cum foetus perimitur, ut infra videbimus.

XLII. Quod autem ad proprium parricidium nonnulli revocandam dixerint caedem

(29) *Leg. unica Cod. de iis, qui Parentes, vel Liberos occiderunt.*

(30) *Matth. d. tit. 6. cap. 2. n. 10., Creman. d. artic. 6. §. 9., Renazz. d. cap. 5. §. 5. n.* 3.; quapropter *Plato* capitis poenam remitti voluit Patri, si Filium ira victus interfecisset, non aeque, inverso casu, Filio *dialog. 9. de Legibus*: Neque apud Aegyptios capitalis fuerat poena, ut habemus a *Diod. Sicul. histor. lib. 1. cap. 77.* „ Parentibus Liberorum interfectib non capitalis erat; sed „ tres dies, atque noctes in complexu occisi „ perdurare, custodia assidente publica, cogebantur: Non enim justum putabant vita privare eos, qui vitam natis dedissent, sed castigatione potius, cui dolor, et poenitentia inesset, Homines ab ejusmodi ausis avertendos esse „.

etiam inter Maritum, et Uxorem; id certe *Modestini* sententiae nequaquam accommodatur; hasce enim personas caeteris aequiparavit, quibus non aeque ferox, ut in Ascendentium interfectores, decretum supplicium videmus: *Constantini* Lex, cui *Carpzovius* inhaeret (31), dum „ ejus affectionis personam recensuit, quae nuncupatione *parricidii* continetur „ emendanda videtur *Matthaeo* (32), quemadmodum *Iustinianus* emendat in suis institutionibus, ubi non *parricidii*, sed *Parentum* legitur; ideoque reliquos omnes non poenae Legis Pompejae, sed Corneliae subjicit „ si quis autem alias „ cognatione, vel affinitate personas con„ junctas necaverit, poenam Legis Corne„ liae de Sicariis sustinebit „ (33): Et re quidem vera non tanta Conjugi, ut ait *Matthaeus* „ quanta Parenti reverentia debetur, „ nec Conjux vitam nobis, ut Parens impu„ tat „: Ad Sponsos quod attinet, quos sententia Legis contineri *Marcianus* dixit (34), nec proprii parricidii actionem,

(31) *Pract. crim. part.* 1. *quaest.* 12. *n.* 10.
(32) *D. cap.* 2. *n.* 8.
(33) §. *alia deinde Lex instit. de publicis judiciis*: Vid. *Gothofred. in Cod. Theodos. lib.* 9. *tit.* 15.
(34) *In leg. sed sciendum ff. ad leg. Pompejan de parricidiis*. Novercam sententia Legis contineri, quae Vitricum expresse memorat, *Marciano* concedam; Sponsos non equidem.

quam ipse *Carpzovius* excludit, nec minus proprii strictius obtinere arbitror, cum non vera affinitas hinc contrahatur (35), et affinitatem *Iustinianus* requirat: Ita pariter excludendos censeo cognatione, quam dicunt spiritualem, conjunctos (36) Legi Pompejae sine dubio non cognita; quos vero cognatio legalis junxit, ob reverentiam teneri jam supra innuimus.

XLIII. Conatum in parricidio veneno paratum aeque, ac scelus perfectum Pompeja Lex plecti voluit (37), sed non ita apud Nos, cum patriae Leges non, nisi caedi peractae poenam ordinariam statuerint (38): Severius tamen, quam in extraneos, conatus, vulneratio, et injuria quaevis punitur, praesertim vero in Filios (39); quos, sicut et Nurus, si verberassent Parentes, Diis Parentum sacraverant veteres Romanorum Leges, ita quidem, ut a quolibet impune occidi possent (40), tanquam victimae Diis

(35) *Snoch instit. jur. canonic. lib.* 2. *tit.* 9.
(36) *Boehmer. d. cap.* 21. §. 242.
(37) *D. leg.* 1. *ff. eod.*
(38) *Cod. Leopold.* §. 67., *Leg.* 30. *August.* 1795 §. 13.
(39) Vid. *Leg.* 15. *Ianuar.* 1744. §. 5. : Poena mortis indicta fuerat apud Hebraeos Filiis, qui percussissent Parentes, aut illis maledixissent *Exod. cap.* 21. *v.* 15. 17.
(40) *Gravin. d. lib.* 2. *cap.* 63.

criminis ultoribus debitae, ut ex *Macrobio* (41) notat *Malanima* (42).

XLIV. Cullei poenam statutam fuisse diximus proprii parricidii reis ex Romanorum Iure, quam *Modestinus* hanc esse ait (43) „ ut parricida virgis sanguineis (44) verberatus, deinde culleo insuatur cum cane, et gallo gallinaceo, et vipera, et simia; deinde in mare profundum culleus jactetur „, ita quippe, ut quocunque elemento parricida careret, sicut et honore sepulcri (45); animalia in culleum, saccum videlicet corii, quem nigri boves trahebant, non tempore fortasse *Pompei* (46), sed postmodum includere institutum est, quasi impietatis Rei symbola (47): Haec autem poena, quam sub *Nerone* profecto viguisse, et

(41) *Saturnal. lib.* 3. *cap.* 6.
(42) *De delict. et poen. cap.* 23.
(43) *In d. leg. poena ff. eod.*
(44) Idest sanguinei fruticis, vel cujuscunque ligni, ait *Glossa* „ dummodo sanguis exeat „.
(45) *Cic. d. orat. pro Sext. Rosc. Amerino cap.* 26.
(46) Gracchorum tamen temporibus *C. Villium* cum anguibus, et viperis in vas quoddam inclusum necatum fuisse testatur *Plutarch. in vita Tiberii Gracchi*; cullei, et serpentum poenam ad tempora *Augusti* memorat *Senec. de clementia lib.* 1. *cap.* 15.
(47) *Gothofred. in Cod. Theodos. d. lib.* 9. *tit.* 15.: Multi multa, cur haec animalia adjecta fuerint, prodiderunt; Vid. *Happrecht. de §.* 6. *n.* 21. *et seq.*, *Matth. d. cap.* 2. *n.* 5.

usque ad sua tempora *Iuvenalis* testatur (48); obsolevit deinde, ut habemus a *Paulo* (49); a *Constantino* (50) postea revocata fuit in pristinum; *Pauli* enim tempore parricidae vel vivi exurebantur (51), vel ad bestias dabantur, quemadmodum bestiis, ubi mare proximum non esset, objiciebantur ex *Hadriani* constitutione (52). Verum progressu temporis ferox, et crudelis haec poena rursus in desuetudinem abiit, ita porro, ut non secus, ac caetera atrociora homicidia, proprium parricidium apud omnes fere Populos puniatur hodie (53); et siqua fortasse Gens,

(48) *Sat.* 8.

. . . . ut dubitet *Senecam* praeferre *Neroni*,
Cujus supplicio non debuit una parari
Simia, nec serpens unus, nec culleus unus.
Sat. 13.
Et deducendum corio bovis in mare, cum quo
Clauditur adversis innoxia simia fatis.

(49) *Lib.* 5. *sentent. tit.* 24.

(50) Hunc nonnulli, conjectura tamen inani juxta *Gothofredum*, addidisse credunt canem, et gallum gallinaceum, ideoque *Tribonianum* falso haec animalia tribuisse Legi, quam *Modestinus* retulit; vixit enim hic Iurisconsultus multo ante *Constantinum*: Vid. *Vinn in instit. lib.* 4. *tit.* 18. §. 6.

(51) Ut mos fuit etiam apud Aegyptios, desecto prius ad frusta praeacutis calamis parricidae corpore *Diod. Sicul. histor. lib.* 1. *cap.* 77.

(52) *D. leg. poena ff. eod.*

(53) *Matth. d. cap.* 2. *n.* 17., *Clar.* §. *parri-*

ut Hispana, retinuit culleum, non tamen vivum, ut olim, sed jam sub Carnifice caesum parricidam voluit insui (54). Parricidium minus proprium poena Legis Corneliae de Sicariis manebat, ut vidimus, quae interdictio aquae, et ignis fuerat primum, deportatio postea, capitalis tandem in omnes, ut alibi dictum est. Apud Nos, ubi proditio, aut praemeditatio absit, citra mortem punitur (55): Adest autem utraque qualitas, cum partus scelere abigitur, vel editus in lucem perimitur (56), impia sane facinora, quae nunc persequi aggredimur.

cidium, *De Amen. d.* §. 8. *n.* 37., *Sabell. in summ.* §. *parricidium n.* 5.

(54) *Gomez. variar. resolut. cap.* 3. *n.* 3., *De Rosa pr. crim. lib.* 1. *cap. ult. n.* 24.

(55) *Paolett. d. lib.* 3. *tit.* 12.

(56) *Grassett. anatom. nec. prodit.* § 21. *n.* 7., §. 22. *n.* 1., *Farinac. de immunit. cap.* 9. *n.* 139., *Simon. de delict. mer. affect. part.* 2. *cap.* 11. §. 7.

CAPUT VI.

De partus ejectione.

XLV. Quis unquam crederet sapientissimos Viros *Platonem* (1), atque *Aristotelem* (2) procreationem inhibendam docuisse, procurandos abortus, ubi praeter modum Civitas afflueret Liberis? Atqui ita porro est; id effera suasit ratio politica temporum; quin etiam et illud Graecis non solum (3), sed et Romanis, et Indis (4), ut natos infirmos, mancos, et debiles cita morte perderent. Quid quod, si in sanos quoque, ac vegetos jus vitae, et necis, et venundandi potestatem Romanae Leges tribuerunt Patri? Ita quippe fert quarta ex XII. Tabulis apud *Gravinam* (5) „ Pater insignem ad „ deformitatem puerum cito necato „ Endo „ Liberis justis (idest legitimis) vitae, „ necis, venumdandique potestas ei esto „; quae quidem potestas, antiquior multo, sub primo ipso Rege sublata fuerat, sed restituta postmodum ad compescendam fortasse effraenem tunc temporis licentiam juvenum,

(1) *Dialog. 5. de Legibus.*
(2) *De Republica lib. 7. cap. 15.*
(3) *Plutarch in vita Lycurgi, Aristot. loc. cit.*
(4) *Q. Curt. de reb. gest. Alex. lib. 9. cap. 8.*
(5) *De orig. jur. lib. 2.*

ut *Dionysius* ait (6), sin potius id *Romuli* fuit consilium, ne nimium circumscripsisse videretur pristinam Patrum liberam, Legibusque solutam auctoritatem.

XLVI. Hanc porro Patrum auctoritatem diu viguisse apud Romanos jam supra vidimus; Matri non idem jus fuit, ideoque nec partum abigere impune ipsi erat, nisi forte ex non legitima copula concepisset, cum nemini injuriam tunc faceret, nec parricidii actione teneri aliunde posset; Romani siquidem Iurisconsulti partum non editum nec vere animatum considerabant, nec Hominem, sed viscerum partem (7) juxta Stoicorum doctrinam, *Herophili*, et *Diogenis*, qui solum, cum aerem respirasset externum, attrahere animam foetum credebant, ut notat *Plutarchus*(8): Extraordinaria tamen actio obtinebat in Foeminam Viro conjunctam, quae data opera partum abegisset vel ante, vel post divortium, ea sane ratione, quod Filio, aut

(6) *Histor. lib.* 2.

(7) Ita *Papinianus* in *leg.* 9. *ff. ad leg. Falcidiam* ,, partus nondum editus Homo non re- ,, cte fuisse dicitur ,, ; *Ulpianus in leg.* 1. §. *ex hoc rescripto ff. de ventre inspiciendo* ,, partus enim, antequam edatur, Mulieris portio est, vel viscerum ,, ; *Marcellus in leg. vetat ff. de mortuo inferendo* ,, spem ani- ,, mantis ,, vocavit partum non editum.

(8) *De placit. Philosoph. lib.* 5. *cap.* 15., *Iust. Lips. physiolog. Stoic. lib.* 3. *dissert.* 10.

haerede fraudasset Maritum, ut habemus a *Triphonino*, et *Marciano* (9), qui hujusmodi fraudem exilio vindicatam fuisse testantur, sicut hoc idem testatur *Ulpianus* (10). Caeterum, ubi alterius damnum abesset, injuria, et fraus, impune, et neglectum, utcunque frequens, hoc scelus fuisse Romanis abunde satis ostendit *Noodt* (11), nec *Bynkershoekius* dissentit (12).

XLVII. Cum vero primum Romano in Imperio Lux Evangelica refulsit, quod nunquam, frequentibus licet querelis, primi Ecclesiae Scriptores potuerant assequi, id tandem providae Leges praestiterunt, ut natorum, et eorum, qui adhuc in utero essent, Stoicorum profligatis erroribus, aequa ratio

(9) *In leg. Divus ff. de extraordinariis criminibus, leg. Cicero ff. de poenis*, ubi teste *Cicerone* severius legimus in Asia punitam fuisse juxta mores Regionis Mulierem, quae accepta pecunia a secundis haeredibus partum medicamentis abegerat.

(10) *In leg. si Mulierem ff. ad leg. Corneliam de Sicariis.*

(11) *Lib. sing. Iulius Paulus cap.* 11.; Hinc *Ovid. eleg. de Nuce*

Nunc uterum vitiat, quae vult formosa videri,
Raraque in hoc aevo est, quae velit esse parens.

(12) *D. opusc. de jure occidendi liberos cap.* 7., et in *not.* 4. *ad* §. 30. *respons. Noodt.*, cum quo disceptavit acerrime de juris historia hac super re.

haberetur. Praesertim vero id obtinuit sub *Valentiniano*, *Valente*, et *Gratiano*, a quibus capitale supplicium cuicunque indictum fuit Viro, aut Mulieri, quae necandi infantis piaculum aggrederetur, seu nondum natus, ut ait *Glossa*, seu jam editus in lucem partus fuisset (13); atque hoc jure nunc etiam utimur.

XLVIII. Dolosam itaque partus immaturi ejectionem homicidium merito dicimus, et parricidium in Matre, quemadmodum et in aliis personis intra Legis Pompejae gradus conjunctis; quod scelus, cum praemeditationem prae se ferat, et proditionem, ut alibi notatum est, ideo in quoscunque immane scelus, et impium consideratur, non secus ac caetera homicidia, quae ex qualitate atrociora dicuntur: Atque ita quidem, cum, quod in utero gestabat Mater, humanum ἔμβρυον revera fuisse constiterit; hoc vero ex partium distincta conformatione animatum nonnulli cum *Galeno*, et *Hippocrate* credunt tertio circiter mense post conceptionem, si mas, quarto, si foemina (14); alii cum *Aristotele* (15), et *Plinio* (16) ex

(13) *Leg. siquis necandi Cod. ad leg. Corneliam de Sicariis.*
(14) *Matth. lib.* 47. *ff. tit.* 5. *cap.* 1. *n.* 2.,
Paolett. d. lib. 3. *tit.* 13.
(15) *De histor. animal. lib.* 7. *cap.* 3.
(16) *Natural. histor. lib.* 7. *cap.* 6.

initio motus in utero marem animari volunt quadragesima die, nonagesima, aut octogesima foeminam (17); dum interim recentiores enixe contendunt animam illico simul adesse, ut fit conceptio (18): Cum vegetatio pariter statim incipiat, hac autem corpora inanimata careant (19), postrema sententia videtur verior *Simonio* (20), sive porro ἔμβρυον ideo animetur, quod anima jam in semine existeret (21), seu quod ipse Deus eodem tempore animam procreet, vel procreandi virtutem Genitoribus dederit juxta quorundam sententiam.

XLIX. Verum, quomodocunque sit, neque enim, quod hoc super problemate Ius canonicum ad *Moysis* Legem (22) juxta Interpretes statuit (23), refellere intendimus, nec minimum Ecclesiae obsistere placitis, quoniam nostri instituti ratio id potissimum

(17) *Gomez. variar. resolut. lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 32., *Menoch. de arbit. cas.* 357. *n.* 3.
(18) *Zacch. quaest. medic. legal lib.* 9. *tit.* 1. *quaest.* 1. *n.* 5., *Teichmey. instit. medic. legal. cap.* 8. *quaest.* 2.
(19) *Zacch. dict. quaest.* 1. *n.* 13.
(20) *D. part.* 2. *cap.* 6. §. 5.
(21) De natura, quam dicunt plasticam, utroque in sexu vid. *Sor. opusc. philosophic. lib.* 3. *dissert.* 2.
(22) *Exod. cap.* 21. *v.* 22.
(23) *In can. quod vero, can. Moyses caus.* 32. *quaest.* 2., *Gloss. in can. cum enixa distinction.* 5.

exigit, ut indubia habeatur probatio, et liquido constet humanae pertinuisse speciei quod fuit ejectum, atque hac de re judicium, quod Medicis praecipue spectat, perdifficile profectò sit, ac periculo plenum sub primis a conceptione temporibus (24), eorum idcirco sententiam haud inviti sequimur, qui non nisi, postquam ἔμβρυον distinctis humani corporis partibus constare videatur, veri homicidii actionem adversus abigentem concedunt; Ubi haec probatio absit, sive quod ejecta materia deperdita non potuerit inspici, sive quod incertum, et fluctuans Medicorum judicium fuerit, ejectionem conatus instar puniendam crederem (25): Id autem totum, ubi ejectio peracta fuerit dolo.

L. Non raro tamen hujusmodi mala ex mera adveniunt culpa vel ipsius praegnantis, vel etiam aliorum: Praegnantis quidem, quae innupta furtim conceperit, et errorem celare satagens, clam paritura suo tempore, non interim sibi parcit, ut decet, ex quo factum sit, ut praeter exspectationem, et mentem partum abegerit (26): Nu-

(24) *Teichmey. cap.* 12. *quaest.* 4.

(25) Atque ita sub anno 1737. punitam tradit *Paolett. loc. cit.*

(26) Hinc apud Nos quaecunque innupta praegnans nuntiari debet Curiae ab iis, quibus hoc officium pertinet, ut de tuendo partu caveat.

ptae praegnantes, quae conceperunt legitime, non nisi ex vere effraenata, et summi gradus incuria culpae argui poterunt: Quicunque alius culpae tenebitur, si per lasciviam, imprudens, aut etiam iratus praegnantem percusserit, aut alia quavis adhibita externa vi abortui causam, licet invitus, attulerit; latae utique culpae, si praegnantem fuisse sciverit; levis contra, ubi ignoraverit. Quia porro naturaliter etiam quandoque abortum Foemina patitur, valetudinis praesertim non integrae, ideo utrum hic fuerit, nec ne provocatus, exquirendum a Medicis, ad quos haec pertinent.

LI. Externa vi corpori illata partum expelli immature posse nemo nec dubitat: Pharmaca ad praestandum id ipsum ex eorum natura idonea recentiores Physici esse negant (27), atque hoc idem experientia doctus testatur *Simonius* (28); adeo tamen irritare viscera poterunt Foeminarum praesertim, quarum non probe firma constitutio corporis fuerit, ut hac ratione id efficiant; quod suapte virtute non potuissent fortasse; quapropter, si abortus sequatur, immaturi videlicet partus ejectio (29), homicidii, aut

(27) *Teichmeyer. cap.* 10. *quaest.* 4.
(28) *D. cap.* 6. §. 6.
(29) Hoc sensu abortum hic intelligimus *Teichmey. d. cap.* 10. *quaest.* 1. *n.* 3. 4., *et cap.* 9. *quaest.* 3.

parricidii juxta personas actio obtinebit, ubi dolo medicamentum hujusmodi assumptum, aut praebitum fuerit, sicut homicidii tenebitur qui praebuit, si Mulier ipsa perierit.

LII. Pocula abortionis porrigere vetuit etiam Romanum Ius, relegatione, aut metalli indicta poena, atque hoc idem de amatoriis poculis statuit (30), quibus, et aliis praestigiis id generis Populus errore ductus fidebat (31); non ideo tamen abortionis pocula vetuit, quod procurasse abortum nefas tunc temporis generatim fuisset, sed quod mali exempli res erat, sic *Paulus*, et periculo plena; atque hinc, si ex hujusmodi aut abortionis, aut amatoriis poculis Mulier periisset, vel Homo, summo supplicio affici voluit eos, qui porrexissent; relegatione tantum, si ex conceptionis poculo, utpote minus periculoso (32), mors Foeminae subsecuta fuisset (33): Hominem autem plerique cum *Schultingio* (34) intelligunt non foetum, ut placet

(30) *Leg. siquis aliquid §. qui abortionis ff. de poenis*.

(31) *Quintilian. declamat.* 14. 15., *Plin. natural. histor. lib.* 28. *cap.* 8.

(32) *Covarruv. in Clement. si furiosus de homicid. part.* 2. *relection. n.* 2. Huic poculo alludit *Iuvenal. sat.* 2.

. . . . . . steriles moriuntur, et illis
Turgida non prodest in pyxide condita lyde.

(33) *Leg. ejusdem §. adjectio ff. ad leg. Cornel. de Sicariis*.

(34) *Ad lib.* 5. *sentent. Paul. tit.* 23. *not.* 47.

quibusdam, sed eum, qui amatorium assumpsit poculum (35); et sane non aliter, ut ipse observat *Schultingius*, conciliari posse videtur *Pauli* sententia, quam textus habet, neque aliter Iurisconsultorum opinio tunc temporis, qui partum non editum non recte Hominem considerabant, ut vidimus, sed Hominis spem (36), futurum suo tempore Hominem, ubi de commodo ipsius ageretur (37).

LIII. Pluribus autem ex causis immaturi partus ejectio peragitur dolo: Rarissimae utcunque, sin potius hodie inauditae, multo improbiores profecto, cum vel odio Mariti, vel secundi haeredis favore partus abigitur, vel a vidua Matre jam ortus occiditur, ut partem haereditatis acquirat, quam dicunt legitimam: Frequentissime tamen ad scelus impellit erroris celandi, et famae servandae solicitudo, Parentum quandoque metus, quandoque Mariti, quoties videlicet Foemina concipit ex non legitima copula: Ex posterioribus istiusmodi causis aliquid poenae indulgendum juris nostri Scriptores autumant, sive immature ejectus

(35) Ex poculo amatorio periisse eximium virum *Lucullum* refert *Plutarch. in ejusdem vita*, pariter *Plin. natural. histor. lib.* 25. *cap.* 3

(36) *Ad text. in leg. cum inter Cod. de fideicommissariis libertatibus*.

(37) *Leg. qui in utero ff. de statu Hominum*.

fuerit partus, seu perimatur jam editus: Verum ad famam servandam quod attinet obstat aperte Lex patria (38), et merito quidem, cum brephotrophia apud Nos ad opportunitatem non desint: Metus vero Mariti, aut Parentum, ubi ad mortis periculum spectet, constans, et urgens non aliter fortasse evitandum, prodesse Foeminae posse, ut ordinariam saltem delicti evadat poenam, ipse quoque concordi eorum suffragio (39) non invitus accedens existimarem, utcunque non par illius, ac Matris innoxiae sit ratio, cujus difficili in partu vita praefertur (40); haec enim licito, illicito illa concubitu in triste alternum hoc fatum se ipsam peccando constituit: Atque haec de partus ejectione per vim dixisse sit satis; ad caetera id generis crimina nunc progrediamur..

(38) Lata 15. *Januar.* 1744. § 8. „ non meritando compatimento la Madre, che si è volontariamente esposta al pericolo di gravidanza, ed il comodo dei Luoghi, che ricevono le piccole Creature, toglie ogni scusa ancora ai Congiunti, che sieno complici nel delitto „

(39) Post *Bartol. in leg. quae omnia § sed si ff. de procuratoribus Raynald. observat. crim. cap.* 6. §. 5. *n.* 32.; *Bonfin. ad barinim. cap.* 52. *append. unic. n.* 20; *De Amen. d.* §. 8. *n.* 15.; *Gallucc. ad de Amen. lib.* 2. *observat.* 22. *sect.* 3. *append. unic. n.* 10.; *Ursay. instit. crim. lib.* 2. *tit.* 5. *n.* 180.

(40) *Zacch. d. lib.* 9. *tit.* 2. *quaest. unic. n.* 36.; *Matth. d. cap.* 1. *n.* 5.

CAPUT VII.

De expositione infantis.

LIV. Quoniam, ut optime scripsit *Ulpianus* „ nihil interest, occidat quis, an causam mortis praebeat „ (1), ideo aeque necasse eum dicemus cum *Paulo* „ qui partum „ perfocat, et illum, qui abjicit, et alimonia denegat „ (2): Quicunque igitur infantem vivum exponit, atque ita relinquit, ut pereat, homicidii, aut parricidii juxta personas tenetur: Infans proprie hic intelligitur recens a partu puer; caeterum non adhuc septennis semper juxta textum est infans (3): Infantem exponere

. . . . primos incipientem
Edere vagitus, et adhuc a Matre rubentem (4),

sive, ut ait textus, sanguinolentum (5), quem non adhuc Pater agnoverat, nec suo

(1) *In leg.* 15. *ff. ad leg. Cornel. de Sicariis.*
(2) *Lib.* 5. *sentent. tit.* 24. *n.* 9., cui respondet *Lex* 4. *ff. de liberis agnoscendis.*
(3) *Leg. si infanti Cod. de jure deliberandi:* Nominis proprietatem secutus *Varro* infantem dicit puerum, qui nondum fari coepit *lib.* 5. *de lingua latina.*
(4) *Iuvenal. sat.* 7.
(5) *Ad leg.* 1. *Cod. de infantibus expositis,*

officio Nutrix adjuverat (6), neque sub *Constantino* fuisse capital Patri contendit *Noodt* (7), qui hujusmodi vetitum *Valentiniano* tribuit; *Bynkershoekius* vero dissentit (8): Leges uterque ipsius *Constantini* allegat, quae partim in *Iustiniani*, partim exstant in Codice Theodosiano, ex quibus, dum interim satis abunde constat hanc Patrum impietatem, Germanis ignotam (9), extremae eorum indigentiae (10) referendam potissimum, cui occurri ex publica annona *Constantinus* voluit (11), nihil aliunde certi elici posse videtur ad celebrem istam Iurisconsultorum quaestionem solvendam.

LV. Quod tamen ad rem nostram ex *Constantini*, et subsequentium Imperatorum Legibus facile patet, illud est, minus profecto eum delinquere, qui infantem sive sanguinolentum, sive jam agnitum publico in loco aliorum misericordiae exponit, quam qui in solitudine, ut fame, aut ferarum laniatu pereat; quapropter vitio laborare vide-

(6) *Noodt d. lib. sing. Iulius Paulus cap.* 11. Circa lustrationem, et nominis impositionem vid. *Heinecc. antiquit. Roman. lib.* 2. *tit.* 7. §. 7.

(7) *D. lib. sing. cap.* 5.

(8) *De jure occidendi liberos cap.* 8.

(9) *Tacit. de morib. German. cap.* 19.

(10) Vid. *Gothofred. in Cod. Theodos. lib.* 5. *tit.* 7. 8.

(11) *Leg.* 1. *et* 2. *Cod. Theodos. lib.* 11. *tit.* 27.

tur *Pauli* nuper citata sententia, quatenus aeque eum necare subdit, qui partum „ publicis locis misericordiae causa exponit „, quod quidem Iurisconsultum addidisse *Matthaeus* autumat ad exaggerandam invidiam rei (12); sin potius id ejus fuit consilium, ut providentes hac de re Thebanorum Leges exprimeret Filio, cui suas dicavit sententias (13), apud quos capitaliter vetitum quomodocunque infantes exponere; qui enim extrema afficiebantur miseria Magistratui infantes tenebantur deferre, cujus erat officium aliis alendos tradere (14).

LVI. Hodie, quemadmodum apud *Nos*, ita quoque apud reliquos Populos cultos brephotrophia, et orphanotrophia non desunt, ubi spurii, nothi, atque etiam legitimi recipiuntur: Hinc quocunque alio loco infantem aliorum pietati exponendo committere, non capital quidem, pravo absente consilio, sed certe, adverso praesertim eventu, non erit impune, seu porro ad exponendum egestas impellat, sive, et multo sane frequentius, pudor, ut Matris videlicet error latescat.

LVII. Consilium vero illius, qui exposuit, ex loco, tempore, et modo facillime argui-

(12) *D. lib. 47. ff. tit. 2. n. 2.*
(13) *Noodt in amic. respons. apud Bynkershoek*, §. 29.
(14) *Aelian. histor. lib. 2. cap. 7.*

tur: Si enim, sic *Paolettus* (15) „ pannis involutus, coeli inclementia defensus, domicilia prope, in publica, ac frequenti via, „ aliove in loco, quo neque perire, sed imo „ reperiri, ac subveniri possit „ exponatur infans, necandi consilium abfuisse dicemus; at, si nihilominus infans obierit, quod forte sero provisum ipsius incolumitati fuerit, impune, ut dixi, exposuisse non erit, et culpae tenebitur qui caute exposuit quidem, sed non egit excubias, ut Matertera *Moysis* (16), ideoque non satis securitati, et saluti infantis prospexit (17): Contra autem necandi consilium adversus eum non immerito licebit arguere, qui noctu nudum in aperto, aut in solitudine infantem deseruit, nihil ultra de illo solicitus; quod si fortunato casu praeteriens quis infantem servaverit, capitale licet supplicium evadat Reus, severe tamen citra mortem puniatur, neque enim stetit per eum, quominus infans perierit.

LVIII. Caetera, quae ex Romanorum Iure huc pertinent, praetermittere liceat: landiu enim exulavit servitus, ideoque et sanguinolenti venditio, quae licita quandoque sub ipsis etiam Christianis Imperatoribus

(15) *D. lib.* 3. *tit.* 15.
(16) *Exod. cap.* 2. *v.* 4. quae expositio aliunde excusanda, urgebat enim severum *Pharaonis* edictum.
(17) *Creman. d. cap.* 5. *art.* 8. §. 10.

fuerat (18), ubi scilicet ad vendendum impulisset

. . . . . . male suada fames, et turpis egestas (19):

Supervacanea pariter quaestio videtur circa jura Parentis, et ejus, qui suscepit expositum, cum hodie brephotrophia suscipiant, ubi sive legitimi, sive extra nuptias nati, aeque spurii omnes habentur, nisi argumentis aliter doceri potuerit (20): Denique vix apud Nos locus Planciano S. C., cum divortia recesserint, et praegnantes innuptae apud Curiam de partu tuendo, ut notavimus, caveant; siqua vero aliunde fraus intervenerit, ad suppositi partus crimen spectabit (21), de quo dicendum suo loco.

(18) *Leg. siquis Cod. de Parentibus, qui filios distraxerunt*; Vid. *Gothofred. in Cod. Theodos. lib. 5. tit. 8.*

(19) *Virgil. lib. 6. Aeneid.*

(20) *Matth. d. tit. 2. n. 4.*, *Creman. d. art. 8. §. 6.*

(21) *Gravin. de orig. jur. lib. 3. cap. 63.*

CAPUT VIII.

De infantis caede.

LIX. Quid adhuc *Medeae* fictis in scenis irascimur Natorum caedis horrore? Nonne scelus hoc idem haud raro nunc quoque renovari conspicimus, atque etiam infandum magis? Illam etenim, in sua ipsa viscera saevire paratam (1), ad furorem perduxit ingratissimi Viri fuga, et pollutus amor,

. . . . notumque, furens quid Foemina possit (2);

hodie hujusmodi nefas audent, et peragunt Foeminae non alia plerumque ratione, quam ut jacturae quodammodo provideant nominis, quod furtivo concubitu jam detrectaverant: Immitissimae Foeminae, longe feris ipsis pejores, cum neque Naturae vox, quae subita ignota vi ad prolis editae amorem impellit, neque innocentis, et opem implorantis vagitus ad facinus audendum illas deterrendo removeant.

LX. Haec tamen immanitas, utpote repugnans Naturae, liquidis probationibus indiget; neque enim, ut infans repertus fuerit

(1) In Matre, siquod pignus etiamnum latet,
Scrutabor ense viscera, et ferro extraham.
Senec. in Medea act. 5.

(2) *Virgil. lib.* 5. *Aeneid.*

mortuus, continuo scelere interemptum dicamus (3), cum tot aut in utero, aut primo ipso ortu naturaliter pereant: Hinc, ubi Foemina vel mortuum peperisse dixerit, vel editum decessisse confestim nulla adhibita vi, nec autem satis docere valeat, Medicorum judicium exquiritur; Hi vero ex ipsa cadaveris conformatione, aliisque signis, quae *Teichmeyerus* enucleate recenset (4), renuntiare debebunt, vivus ne, an mortuus editus fuerit infans; et, si vixisse post ortum dixerint, si perfectum, si vitalem cognoverint, vitalis est autem septimo etiam quandoque, et octavo a conceptionis mense (5), nono quidem perfectus, abortivus vero ante septimum (6), de mortis causa sententiam dicent, num naturalis videlicet, num violenta; sane violenta, cum lethaliter laesum, et vulneratum invenerint, vel suffocatum, aut laqueo, aut alio quocunque modo interclusa respiratione; ita pariter, cum san-

(3) *Leg.* I. §. *item illud ff. ad S. C. Syllanianum*.

(4) *Instit. medic. legal. cap.* 24.

(5) *Leg septimo ff. de statu hominum*, *Teichmey. loc. cit. cap.* 9. *quaest.* 11. 12., *Zacch. quaest. medic. legal. lib.* 1. *tit.* 2. *quaest.* 3. *n.* 62.

(6) *Teichmey. loc. cit. cap.* 12. *quaest.* 1. *n.* 4., *Zacch. quaest. medic. legal. Tom.* 3. *consil.* 37., *Raynald. observat. crim. cap.* 6. §. 5. *n.* 90.

guine exhaustum viderint, qui ex umbilico fluxit non, ut decuit, circumligato (7); atque ita, cum aut ex inedia defunctum agnoverint ob praetermissa alimenta, aut ex caeli intemperie, ubi de exposito sit quaestio; aeque enim, ut superiori capite innuimus, infans committendo perimitur, ac omittendo.

LXI. Ut porro dignoscatur, an vivus prodierit ex utero infans, pulmonum experimentum vulgatissimum est, qui ex cadavere extracti, si in aquam innatent, aerem hausisse infantem, ideoque vivum, sin minus, mortuum prodiisse significent; item, si dexter, qui primus aerem recipit, enatet, non ita laevus, conjici hinc posse ajunt momento ipso, quo in lucem venit, infantem periisse (8): Verum non satis huic experimento fidendum juxta sapientiorum doctrinam *Renazzius* monet (9); quandoquidem pulmonis gravitas, quam dicunt specificam, ob qualecunque impedimentum libero aeris ingressui, non adeo decrescere interdum fortasse potest, ut levior factus volumine aquae pulmo supernatet: Nec autem pro-

(7) Non semper haec omissio ad lethum perducit, sed solum, cum inde haemorrhagia exanguem infantem reddiderit *Teichmey. d. cap.* 24. *n.* 5., *Boehmer. elem. jurisprud. crim. sect.* 2. *cap.* 21. §. 251.

(8) *Creman. d. artic.* 8. §. 9. *not.* 1.

(9) *D. lib.* 4. *part.* 4. *cap.* 6. §. 1.

pterea experimentum hoc omittendum; quod aliis indiciis, siqua forte sint praesto, aliquid addet momenti; atque inter caetera, ubi vulnere, laqueo, aut alia quacunque pressione peremptus dicatur infans, perspicuum signum elicitur ex vera sugillatione, ac livore cum sanguine, qui extra vasa circumfluxerit, quod quidem non nisi in corpore vivo contingit, ut notat *Teichmeyerus* (10).

LXII. Quandoque tamen, etsi violentae mortis indicia non desint, non semper directa, et scelesta Matris opera intervenit; atque ita porro, cum praegnans praesertim primipara, quae amoris furtivi fructum celare satagit, ex improviso partus oppressa doloribus adeo deficit viribus, animique praesentia, ut nec opem quaeritare valeat, nec satis aliunde cavere, quin infans vel lapsu lethaliter laesus, vel haemorrhagia, vel quomodocunque pereat, quod non ei opportune subventum fuerit: Hoc itaque casu ordinariam quidem delicti Foemina evadet poenam, severius tamen citra mortem punienda, quae primum peccando, deinde improvida, et oscitans in hoc semetipsam triste infortunium perduxit.

LXIII. Persaepe id accidit, ut cadavere infantis reperto, ac legitime probato scelere, ignoretur delinquens, seu porro

(10) *D. cap.* 24. *n.* 11.

Mater, sive alius qnicunque ille fuerit; neque enim semper, quae peperit, ipsa quoqne infantem interficit, multoque minus lassa puerperio ad alibi exponendum est potis: Quoniam cognita Matre, quod snperest probatur facillime, ideo, quoties indicia foeturae non desint, inspectioni Obstetricum, etsi neget, subjicitur, quae inspectio (11) neque in confessis omittitur, ut veritatem confessionis confirmet: Nec autem levis quaeque suspicio sufficit; vetitum enim ex domo Rei, ut Iurisconsultus ait (12), probationum initium sumere, ideoque subsequens inde confessio, quasi extorta, nullius, aut parvi momenti esset (13): Abstinendum etiam aliunde ab inspectione hujusmodi innuptarum praesertim, ubi absint indicia, ipsa honoris, et decoris ratio monet, quod nemini invito eripere, neqne etiam obumbrare concessum est (14).

LXIV. Quid Ius Romanorum diverso tempore sanxerit et de provocato abortu, et de reliquis delictis ejusmodi vidimus passim: Apud Nos dolo patrata puniuntur morte in Parentes non solum, sed in caeteros quo-

(11) Haec autem inspectio neque in abortu omittitur.

(12) *In leg. de minore §. tormenta ff. de quaestionibus, leg. nimis grave Cod. de testibus.*

(13) *Raynald. d. cap.* 6. §. 5. *n.* 100.

(14) *Heinecc. praelect. ad Pufendorf. de offic. hom. et civ. lib.* 2. *cap.* 14. §. 10.

que omnes, cum qualitate graventur, ut supra monuimus (15); ex qua ad atrociorum classem feruntur (16); conatus punitur mitius, sicut et culpa, quae, qualiscunque sit porro, semper Matri imputatur; sibi enim, et voluntario suo errori tribuat quidquid inde advenerit mali.

CAPUT IX.

De Veneficio.

LXV. Caedes Hominis per venenum dolo patrata veneficium dicitur (1): Crimen hoc primis Romae saeculis ignotum penitus fuerat; neque enim rudes quidem, sed simplices adhuc Gentium mores, exterarum commercio polluti, earum virtutes, ac vitia simul exhauserant (2): A Foeminis prius inducto scelere, ut clandestinis insidiis Maritos perimerent, haec, Matronarum praesertim, fraus impia late grassabatur in Urbe, cum tandem ancilla quaedam id totum Aedili *Q. Fabio Maximo* detulit; ipsa autem in-

(15) *Cap.* 5. §. 44.
(16) *Leg.* 30. *August.* 1795. §. 13. Vid. *Cod. Leopold.* §. 71.
(1) *Paolett. d. lib.* 3. *tit.* 11.
(2) *Gravin. de orig. jur. lib.* 3. *cap.* 103.

dice, venenis apud nonnullas Patriciae Gentis repertis, cum ad Forum accitae medicamenta salubria esse contenderent, bibere jussae interierunt; hinc factum est, ut reliquis extemplo comprehensis ad centum septuaginta convictae sceleris damnatae fuerint, atque hinc de veneficiis tunc primum quaestio instituta (3). Legem in Decemvirales relatam, quae etiam incantamenta juxta superstitionem temporum respicit, hujus fortasse tenoris habet *Gravina* (4) „ Qui malum carmen incantassit, aut malum venenum faxit, duitve, parricida esto „ videlicet capital, ut alibi notatum est.

LXVI. Quamplurima exstant venenorum genera, quae quidem ad haec tria regna Naturae potissimum pertinent, metallorum scilicet, animalium, et vegetabilium; prioris generis venena corrodunt viscera; secundi generis vasa ut plurimum obstruunt; tertii stuporem sensibus afferunt, graece ναρκην, ideoque narcotica vulgo dicuntur: Singula porro cujuscunque veneni signa, quae quidem perpauca non sunt, inter caeteros medicae scientiae Scriptores *Teichmeyerus* recenset (5), atque haec non solum eo adhuc vivente, qui venenum assumpsit,

(3) *Liv. histor. lib. 8. cap. 16., Valer. Max. lib. 2. cap. 1.*
(4) *Loc. cit. lib. 2. cap. 62.*
(5) *Instit. medic. legal. cap. 20.*

verum etiam post obitum in cava quacunque corporis parte secta, ut par est, manifestantur (6): Ubi signa istiusmodi ex Medicorum judicio qualitati veneni conveniant, quod praeparatum aliunde, et propinatum fuisse constiterit, quodque chemiae etiam Pe-

(6) Quoniam interest nota esse iis praesertim, qui acta instruunt, et testes infirmo astantes interrogant, ideo ipsius *Renazzii* verba, qui haec signa enumerat, repetam „ Siquis venenum (inquit ille) acre, seu corrosivum sumpserit, ei venter inflatur, pallent, tument, frigescunt extremae corporis „ partes, solvitur alvus, urentes dolores, sitis inextinguibilis, convulsiones, spasmi, „ animi deliquia mortem et praenunciant, et „ afferunt : Ea sequuta, in cadavere apparent „ inflammatio, ulceratio, gangraena oris, faucium, oesophaghi, ventriculi, intestinorum, „ sanguisque diffluens ex corde, arteriis, venisque. Obstruentis veneni signa sunt macies, atrophia, abdominis tumor, nausea, „ obstructiones, virium prostratio, febris lenta, hydrops, asthma, phthisis: Secto cadavere inveniuntur obstructa viscera abdominis, aut pectoris, glandularum tumores, „ sanguis in corde, vasisque concretus. Temulentiam, lethargiam, inertiam, paralysim, apoplexiam, saepe etiam vomitum inferunt stupefacientia venena, seu narcotica, „ quae nullum ut plurimum sui vestigium in „ cadavere relinquunt, praeter vasa meningum, et cerebri sanguine turgidiora, aut „ serum in cerebro effusum „ *d. lib. 4. part. 4. cap. 4. §. 7. not. 1.*

riti, siqua pars non assumpta exstet, subsidio ἀναλυσεος tale esse doceant, et tale pariter caute praebitum cani ex effectibus pateat (7), plena sceleris probatio habebitur (8), probatio caeteroquin difficilis, cum etiam veneno, quod corpora humana quandoque habent ingenitum, pleraque ex propinati signis communia sint.

LXVII. Id etiam fieri potest, ut assumatur venenum, nec autem scelere porrectum fuerit: Facillime assumitur in boletis, et herbis, earumque radicibus ex illorum inscitia, qui legunt, et praeparant; assumitur pariter, cum aerugine cibus inficitur in cupreis vasibus haud satis illitis stanno; quemadmodum, siquod fortasse phalangion (9), aut campe, aut quid aliud veneficum in fercula irrepserit: Ubi tamen ex venenis hujusmodi mors subsequatur, culpae coquum argui posse cre-

(7) Hujusmodi experimenti formulam exhibet *Paolett. in instruct. formul.* 4. Notandum interim canem, qui facile vomit, vivum quandoque superesse, quo casu ex vestigiis vomitus Medici judicium ferre poterunt.

(8) Multoque magis, quoties arsenicum, aut aliud quodcunque primi generis venenum, usitatius scelestis, porrectum fuerit, ejusque pars aliqua intestinis, aut ventriculo adhaerens cadaveris, extracta, per ἀνάλυσιν ipsa quoque agnoscatur.

(9) Ex hujus veneno quosdam periisse refert *Decian. tractat. crim. lib. 9. cap. 26.*

derem; quaevis enim incuria, ut alibi dictum est, in homicidio imputatur. Ast contra non culpae, sed doli actione tenebitur quicunque sordidis indulgens quaestibus esculenta, vel poculenta aut fraudulenter commixta insalubribus, aut eadem ipsa infecta, et saluti noxia vendiderit; haec etenim neque retinere concessum ex Legibus nostris (10).

LXVIII. Propter artis fallaciam excusari Medicum posse, qui forte successu non prospero medicamentum porrexerit, alibi dixi: Verum, siquando isti mortis Ministri, ut lepide veteres vocavit *Pignottus* (11), nimia experiundi libidine quid audacius tentaverint, quodcunque inde advenerit mali ipsis quoque imputari posse non dubito, quemadmodum summa eis imperitia imputatur (12): Haec eadem imperitia, et incuria Pigmentariis quoque imputanda; et quoniam, ut pariter dixi, iis vetitum venena ad libitum vendere (13), ideo latae utique culpae argui poterunt, siquis veneno abutatur, quod incauti vendiderint. Multo autem

(10) *Leg.* 14. *Ianuar.* 1783., *Leg.* 1. *Octobr.* 1793.

(11) *Fab.* 36.

(12) *Leg. illicitas §. sicuti ff. de officio Praesidis, leg. qua actione §. final. ff. ad leg. Aquiliam, Voet. in Pandect. lib.* 9. *tit.* 2. §. 23., *Creman. d. cap.* 5. *artic.* 1. §. 5.

(13) *Cap.* 1. §. 8. *et in not.*

severius animadvertetur in eos, qui artem simulantes, et simplici popello illudentes venditaverint medicamenta, et remedia, ex quibus triste quid subsequatur (14): Neque isti porro, neque alii quicunque Circumforanei, qui ad medicinam retinent viperas; culpa vacabunt, siquis ex negligenti earum custodia venefico morsu perierit; sicuti qui canem, aut felem rabie laborantem detinet sciens, nec statim, cum possit, interficit ad mala evitanda, quae inde ex veneno per morsum contracto, quod diu quandoque latet, subsequuta infeliciter fuerint (15).

§. LXIX. Nec autem solum venenis, quae ex regno Naturae proficiscuntur, salus Hominum in discrimen adducitur; non minus forte lethalia alterius culpa, vel dolo mortales miseri venena absorbent, et contrahunt

(14) Ex Legibus nostris nemo ejusmodi artes impune exercet, nisi post plenum Collegii Medicorum suffragium, et publicae Auctoritatis placitum: Id ipsum de Chirurgis, et Obstetricibus obtinet, *Leg.* 30. *Septembr.* 1644., *Leg.* 19. *Maj.* 1763.

(15) Apud Nos certis anni temporibus, quibus canes facilius hydrophobiam contrahunt, ubi inveniantur incustoditi, et vagantes, ex politiae Legibus interficiuntur. Optandum quocunque anni tempore in Civitatibus praesertim, et Oppidis, ubi numerus canum, quorum pars magna nullius utilitatis, vix propemodum differt ab Hominum numero: Vid. *Leg.* 18. *Septemb.* 1759.

aut contactu, aut ex aere infecto. Ad haec evadenda Leges potissimum tendunt, quae cadavera profundius humari jubent extra Oppida, et Urbes (16) exemplo Atheniensium, et Romanorum, ut observat *Gravina* (17); quae pariter latrinas, ubi excrementa, et putridum quidquid recipitur, non nisi nocturno tèmpore, et vicinis praemonitis, evacuare concedunt (18), ut alibi, et loco saluti innocuo transferatur materia; prae caeteris vero, quae ad pestiferum arcendum morbum, quo nimis saepe afflictantur australium, atque orientalium regionum incolae, vigent providentissimae, accuratius maritimis in Locis servandae, ubi naves longinquis ab oris appellunt (19). Atque utinam par ἐνέργεια esset praesto ad genus quoddam cohibendum veneni, quod novi Orbis exploratores permistum divitiis amare nimium repensis ad litora nostra pertulerunt, quo grassante aut foecunditas ipsa destruitur, aut non nisi degeneres inde fructus emanant, infirma videlicet soboles, enervis, et manca (20).

(16) *Leg.* 25. *Mart.* 1773.
(17) *De orig. jur. lib.* 2. *cap.* 78., ubi ex *Cicerone* Legem ipsam decemviralem exhibes „ Hominem mortuum in Urbe ne sepelito, neve urito „
(18) *Leg.* 2. *August.* 1780.
(19) *Leg.* 15 *Iul.* 1785.
(20) Vid. *Filanger. scient. legislat. lib.* 2. *cap.* 8.

LXX. Quocunque genere armorum, quorum cuspis infecta veneno fuerit, levissime etiam aliquem laedere veneficium dicitur(21); ideoque, ubi mors subsequatur, et dolo vulnus illatum fuisse constiterit, veneficii poena tenebitur qui intulit: Qualitas caeteroquin armorum, quae illita veneno non fuerint, utcunque invisa Legibus, id quidem praestabit, ut poenam statutam crimini adaugeat (22), nec tamen ejusdem immutare poterit speciem.

LXXI. Veneficii crimen, ut primum de eo quaestio instituta fuit, apud Romanos capital fuisse vidimus; postea Cornelia Lex de sicariis, et veneficis interdictionem aquae, et ignis indixerat, cui deportatio successit reservata honestioribus, humiliores enim vel capite plectebantur, vel bestiis objiciebantur, ut habemus a *Marciano*, et *Callistrato* (23); capitale supplicium adversus omnes *Iustinianus* restituit (24), quae poena pari-

(21) *Teichmey. d. cap. 20. quaest.* 3.

(22) *Leg.* 30. *August.* 1795. §. 16. 17.

(23) *Leg. ejusdem* §. *penult. ff. ad leg. Cornel. de sicariis, leg. capitalium* §. *venenarii ff. de poenis*. Tutorem, qui veneno Pupillum necaverat, cui substitutus fuerat haeres, in crucem tolli jussit *Galba* Imperator, ut testatur *Sveton.* in ejus vita *cap. 9.*

(24) §. *item Lex Cornelia de sicariis instit. de publicis Iudiciis*.

ter apud Nos obtinet effectu sequuto (25); et merito quidem: Hoc etenim scelus, quod praemeditationem constanter prae se fert, caetera id generis perfidia superat; quis nanque ab insidiis, quae etiam in pastu, potuque, unde vitam sustinere quaerimus, latent, cavere poterit? Quapropter optime *Antoninus* rescripsit „ plus est Hominem „ extinguere veneno, quam occidere gla„ dio „ (26): Neque porro hoc nefas immane domesticos tantum inter parietes, verum ipsis etiam in Aulis irrepsit quandoque, ut ferunt historiae (27). Ad conatum quod attinet, major, minorve proximitas actuum, aliaeque, siquae sint, circumstantiae statuent poenam, quae tamen, ubi casum alibi notatum excipias (28), nunquam ad mortem pertrahi poterit (29), neque etiam ipso assumpto veneno, quotiescunque qui assumpsit fortunato eventu non periit. Culpa mitius punietur; nisi forte in iis

(25) *D. Leg.* 30. *August.* 1795. §. 13.

(26) *In leg.* 1. *Cod. de maleficis, et mathematicis*.

(27) Hostia Eucharistica veneno inquinata mortem glutisse *Robertum* utriusque Siciliae Regem ex *Molin.* tradit *Raynald. observat. crim. cap.* 31. §. 4. *n.* 154., qui alios ejusmodi veneni casus refert ex *Stryk. n.* 155.

(28) *Lib.* 1. *cap.* 1. §. 25.

(29) *De Amen. de delict. et poen. part.* 3. *tit.* 7 §. 9. *n.* 53.

peccatum fuerit, quibus rite servatis pestifer ille morbus avertitur, qui interdum
. . . . . . funestos reddidit agros,
Vastavitque vias, exhausit Civibus Urbes (30);
tunc enim quidquid scienter adversa Lege aut fit, aut omittitur severis utique poenis est coercendum.

CAPUT X.

De Assassinio.

LXXII. Barbaro hoc nomine, neque enim in Latio perstrepuit unquam, caedem intelligimus Hominis, quam alterius mandato quis mercede conductus committit: Hominem *Christi* religionem professum canonicum Ius requirit (1); Ius autem nostrum Naturam intuens, cujuscunque religionis, aut sectae ille sit, qui pretio interimitur, assassinium considerat (2): Nec porro mirum quod serius hoc nomen Fori subsellia occupaverit, siquidem ductum ab Asiae Populis, qui falsam amplexi Mahumetanorum doctrinam, Senioris,

(30) *Lucret. de rer. natur. lib. 6.*
(1) *In cap. pro humani de homicidio in VI.*
Raynald. loc. cit. cap. 7. §. 1. n. 3.
(2) *Matth. lib. 48. ff. tit. 5. cap. 1. n. 5.*

quem sibi praefecerant, jussu, quemque dicebant *Arsacidam*, Christianos insequebantur, atque ex insidiis interficiebant (3); eorum autem religio non nisi multo post *Iustinianum* a *Mehmedo* Arabum Duce in Asia diffundi, et radices agere coepit (4): Nomen ignotum quidem, ut dixi, Romano Iuri, nec tamen res (5): Haec vero invisa magis, magisque in posterum, quod ipsi Christiani mercede conducti sui similes, cum in Loca Sancta peregrinarentur, Mahumetanorum exemplo perimerent; atque hinc factum est, ut *Innocentius IV.* P. S. Lugdunensi in Concilio severas in hoc scelus horrendum statuerit canonicas poenas (6).

LXXIII Horrendum profecto scelus, cum praemeditationem constanter prae se ferat; proditionem etiam (7): Quis nanque ab incogniti Sicarii insidiis satis cavere poterit? Quid caeteroquin vilius, quid turpius,

(3) *Paul. Aemil. de reb. gest. Francor. lib. 5.*, *Duaren disput. anniv. rs. lib. 2. cap. 12.*, qui simili modo interfectum tradit celebrem Virum *Raimundum* Comitem Tripolitanum.

(4) *Murat. annal Ital. sub ann. 519.*, *et 622.*

(5) *Leg. non solum §. si mandato ff. de injuriis, leg. ejusdem §. item is, leg. nihil interest ff. ad leg. Cornel. de Sicariis, leg non ideo Cod. de accusationibus, Paul. lib. 5. sentent. tit. 23 §. 11.*

(6) *Gloss. in d. cap. pro humani.*

(7) Vid *Decian. tract. crim. lib. 9. cap. 30. n. 18.*

quid magis infame, quam pretio ad delinquendum allicere, et pretio nefariam locare manum in alterius interitum? Nec autem interest, solutum ne adhuc pretium criminis, vel tantum promissum, pecunia ne, aut quid aliud, dummodo certa sceleri merces proposita, et constituta fuerit, ut ait *Matthaeus* „ sive in specie seu corpore, sive „ in numerata pecunia „ (8). Quanquam, etsi neque datum quid, neque pactum sit, neque etiam speratum, et solum obsequii, aut amicitiae gratia mandatum Sicarius impleverit, quaestio nominis erit, non rei ex Legibus nostris, quae singula quaeque praemeditata homicidia ad poenam quod attinet pari lance perpendunt; non ita forte, ubi Leges exquisitiori supplicio assassinium, quod dicunt proprium, vindicant, ideoque conductitium, seu mercenarium mandatum distinguunt a simplici (9).

LXXIV. Quandoque id evenit, ut qui mandatum susceperat executioni se prom-

(8) *D. cap.* 1. *n.* 4., *Raynald. d.* §. 1. *n.* 121.

(9) Vid. *Raynald*, *et Decian. nuper cit.*, *Boehmer. elem. jurisprud. crim. sect.* 2. *cap* 18. §. 229. 230. Caeterum neque obsequium, neque etiam Patris, aut Domini jussum prodesse vel minimum Filio, aut Famulo posse enixe contendit *Simon. de delict. mer. affect. part.* 2. *cap.* 5. §. 8. 9. illorum doctrinam rejiciens, qui haud recte *Ulpianum* interpretati aliter sentiunt.

ptum simulans pecuniam receperit, sed exequi ne cogitaverit quidem: Id etiam fieri potest, ut, licet promptus initio, postea destiterit poenitens: Quoniam neutro in casu Homo caesus est, poenam delicti ordinariam, quae solum ex Legibus nostris in caedem patratam obtinet, qui mandavit evadet, utcunque per eum non steterit, quominus infame facinus absolutum ab altero fuerit: Hic vero mitius etiam punietur, seu porro acceptasse mandatum simulaverit, ut lucrum inde capesseret, seu reapse acceptato poenitentia ductus destiterit: Nec autem dimittendum omnino poenitentem existimo, sicut nec illum, qui non lucrifaciendi consilio, ut supra dictum est, mandatum simulavit suscipere, sed ideo simulasse dixerit, ne, eo renuente, alteri scelestus committeret, interim cunctando sperans, ira tandem deposita, revocaturum mandatum: Nisi quid aliud hic, atque ille praestiterint, ut a proposito mandantem avertant consiliis praesertim, et monitis, imputatione quacunque mea quidem sententia non vacant; qui enim sceleri consensum aut verum, aut fictum praebuit, pravo scelesti indulsit ingenio, atque odium illius quodammodo fovit, et aluit (10).

(10) Vid. *Paolett. d. lib.* 3. *tit.* 10., *Carmignan. elem. jur. crim. part.* 1. *cap.* 2. §. 158. *not.* B: Aliter sentit *Simon. d. cap.* 5. §. 3., *eu-*

LXXV. Cum vero Sicarius mandatum suscepit paratus exequi, nec tamen ad effectum perducere potuit, licet nil intentatum reliquerit, poenam conatus aeque, ac alter persolvet: Ordinariam utique uterque perfecto scelere; atque ita porro, etiamsi qui mandavit, postea poenitens, mandatum revocaverit per nuntium, et litteras, quae sero tamen, et post caedem, nec nuntii incuria, ad Sicarium pervenerint. Secus autem, ubi Sicarius mandatum revocatum fuisse non ignoraverit, vel ubi, cum primum ei caedes mandata fuit, ipso renuente, acquieverit mandans, postea vero morem illi gesturum se ratus caedem patraverit; tunc enim ille solus poenam criminis luet: Vix animadvertere licebit in eum, qui mandavit, ait *Cremanus* (11); lenius profecto, atque ex unica quidem ratione, ut dicunt, scandali, non ex infamis contractus natura, qui vel nunquam perfectus extitit, vel jam rescissus ob revocationem mandati notam Sicario.

LXXVI. Nec tamen semper mandatur Hominis caedes: Verbera interdum tenui baculo, aut ferula, calces etiam, et pugni mandantur interdum, alapae quoque inju-

jus tamen opinioni, ubi poenitens peccaverit solus, ipse quoque adhaerere non dubitavi *lib.* I. *cap.* I. §. 25.

(11) *D. cap.* 5. *artic.* 4. §. 7.

riandi fortasse magis, quam laedendi consilio: Ubi verbera mandata fuerint, et quidem tenui baculo, Sicarius autem armis lethiferis usus homicidium admiserit, ille solus poenam statutam sceleri dabit; mitiorem alter. Quod si mandata fuerint vulnera, eaque insuper instrumentis, et armis, ex quibus mors etiam subsequi poterat, uterque hac sequuta ordinariam persolvet; sibi enim qui mandavit imputet, cum usum armorum id generis praescripsit, quae modum, ut *Seneca* ait (12), non servant, quaeque nec ipsi quidem artis magistri moderare usque adeo possunt, ut qua volunt mensura infligant vulnera (13).

LXXVII. Errorem in personam nil occisori prodesse diximus alibi (14): Utrum hoc idem de eo, qui non occidit, sed mandavit occidere, nonnulli dubitant: Verum haec dubitatio argumentis iisdem solvi facile potest, quibus ut supra solvimus alteram: Qui facit per alium est perinde, sic textus (15) „ ac si per se ipsum faciat „;

(12) *In Hercul. furen. act. 2. scen. 3.*
. . . . arma non servant modum,
Nec temperari facile, nec reprimi potest
Stricti ensis ira . . . . . .
(13) *Matth. d. tit. 5. cap. 3. n. 16.*, *Decian. d. lib. 9. cap. 36. n. 6. 7.*, *Paolett. d. tit. 19.*, *Cremun. d. artic. 4. §. 8.*
(14) *Cap. 4. §. 32.*
(15) *In cap. 22. de regulis Iuris in VI.*

et sicut Sicarii involuntarius excessus alteri prodesse nequit, ita nec error (16). Caeterum quaestiones hujusmodi, et siquae similes, considerationem fortasse, quaecunque sit porro, mereri possent quibus in Locis exquisitius, quemadmodum dixi, supplicium assassinio sic proprie dicto statutum esset: Supervacaneae videntur apud Nos, ubi facinus eadem plectitur poena, qua caetera praemeditata homicidia; et praemeditatum in utroque non sine proditione illud est, quod ex mandato committitur (17).

LXXVIII. Quod autem qui ratam habuit caedem, illo inscio peractam, aeque actione poenali teneri possit, ac si ipse mandasset, ut credunt nonnulli, absurdum id, nec rectae rationi consonans demonstravimus alibi (18). Quomodo enim crimen illi objici poterit patratum ab altero, quem patraturum fore ignorabat? Vi dejectum e fundo agere posse adversus eum, qui vim ratam habet, quod aliqua hinc utilitas ipsi perveniat, scripsit *Ulpianus*, atque hoc sensu „ ratihabitionem in maleficio mandato comparari „ dixit (19); haec tamen actio ad

16) Vid. *Simon. d. cap.* 5. §. 5., *Carmignan.* *d. cap.* 2. §. 171. *not.* C.
(17) *Paolett. d. tit.* 10.
(18) *Lib.* 1. *cap.* 1. §. 22.
(19) *In leg.* 1 §. *sed et si ff. de vi, et vi armata, leg. hoc jure* §. *dejecit ff. de regulis juris.*

solam civilem obligationem refertur ex mente Iurisconsulti, qui Edictum Praetoris interpretatus, cui negotia tantum civilia spectabant, hoc dedit responsum (20); caeterum ad poenam quod attinet ideo ratum habens delictum teneri poterit, quatenus post inde particeps lucri, et quasi ex novo quoad ipsum delicto (21): Perperam igitur qui aliter sentiunt huic *Ulpiani* responso nituntur, cum neque ad irrogandam infamiam juxta ipsum *Ulpianum* ratum habuisse sit satis (22); multo autem minus ad rem videtur Sanctio canonica qua in parte pares, ut in Sicarios, in eos statuit poenas, qui scelestos hosce receptant, occultant, atque defendunt (23).

LXXIX Assassinium ex Legibus nostris eadem, ut diximus, plectitur poena, qua caetera atrociora homicidia, morte videlicet infami patibulo (24); iniqua merces, et pretium Fisco applicatur (25); exquisitiora supplicia adversus ejusmodi scelestos alibi vigere notant *Boehmerus* (26), *Renaz-*

(20) *Simon. d. cap.* 5. §. 7.
(21) Vid. *Nan. de indiciis cap.* 5.
(22) *In leg. quid ergo ff. de his qui notant. infam.*, *Voet in Pandect. lib.* 48. *tit.* 8. *n.* 3.
(23) *In d. cap. pro humani.*
(24) *Cod. Leopold.* §. 67., *Leg.* 30. *August.* 1795. §. 18.
(25) *Leg. Lucius Titius ff. de jure Fisci.*
(26) *D. cap.* 18. §. 231.

rius (27), et alii: Ubi mandatum susceptum fuerit gratis, nomen assassinii sic proprie dicti cessabit; ipsa manebit poena apud Nos, caede peracta, quippe quae, ut pariter diximus, praemeditationem prae se fert, et proditionem.

CAPUT XI.

De Latrocinio.

LXXX. Latrocinium a *Boehmēro* definitur caedes Hominis lucri, commodique causa facta (1): Proprietatem nominis *Festus*, et *Isidorus* hinc ducunt, ut notat *Caravita* (2), quod nefarii istiusmodi a latere adoriantur, et latenter insidientur; neque enim directe ad rem graeca vox *λατρον*, *merces*, ex qua latrones antiquitus dicti, qui mercede conducti militabant (3): Romanum prefecto Jus

(27) *D. part.* 4. *cap.* 3. §. 3.
(1) *D. sect.* 2. *cap.* 17. §. 224.
(2) *Instit. crim. lib.* 1. §. 3. *cap.* 15. *n.* 8., *Matth. lib.* 47. *ff. tit.* 2. *cap.* 1. *n.* 1.
(3) Hinc *Plaut. in milit. glorios. act.* 4. *scen.* 1.
Vt latrones, quos conduxi hinc, ad Seleucum duceret,
Qui ejus Regnum tutarentur . . . . .
Venatores, qui feris insidiantur, latrones vocat *Virgil. Aeneid. lib.* 12.
Tum demum movet arma leo . . . . fixumque latronis

latrones eos intelligit, qui Homines aggrediuntur, et caedunt (4) praedae potissima, atque imo unica causa, ut habemus a *Callistrato* (5); nec porro interest, utrum in itineribus, grassatorum instar, an quocunque alio loco, in domibus etiam haec facinora admittant (6), quemadmodum parvi ne, aut multi momenti ablatae res fuerint, vel commodum sibi a latrone propositum (7).

LXXXI. Duo simul hoc facinus crimina comprehendit, homicidium, et furtum vel rei, vel commodi; homicidium quidem, ut quodcunque hac ratione ad furtum patrandum de medio tollatur impedimentum, vel testis quicunque criminis, Homines enim, cum peccant, aut solitudinem quaerunt, aut tenebras, flagitiorum, ut ait *Cicero* (8), integumenta: Causa igitur, quae ad scelus impellit, est furtum; homicidium quasi modus executioni opportunus, quin et necessa-

Impavidus frangit telum, et fremit ore cruento.

(4) *Iodoc. prax. crim. cap.* 88.

(5) *In leg. capitalium §. grassatores, §. famosos latrones ff. de poenis.*

(6) *Ad text. in authentic. sed novo jure Cod. de servis fugitivis, Boehmer. d. cap.* 17. §. 225.

(7) *Paolett. d lib. 3. tit.* 16.

(8) *Pro M. Caelio cap.* 20. Hinc *Horat. epist.* 2. *lib.* 1.

Ut jugulent Homines surgunt de nocte latrones.

rius scelesto, ubi nec tenebrae, nec solitudo sint praesto ad tegendum quod primum sibi peccatum proposuerat, vel ubi non aliter quidquid ad hoc perpetrandum obstat superare valeat.

LXXXII. Atque hinc a nonnullis dubitatum est, num vera latrocinii actio obtineat, quoties homicidium non ante furtum, sed pone subit (9), quae dubitatio tamen facillime solvitur sic distinguendo: Vel enim in ipso crimine fur deprehensus criminis testem, aut bona auferre impedientem interficit; et latrocinii actione tenebitur juxta principia superius posita (10): Vel arrepta jam fuga insequentem, et acriter minantem perimit, ut suae vitae consulat; et latrocinii cessabit actio, ita porro, ut separatim homicidii teneatur, et furti (11): Haec autem omnia aeque se habent seu domi, sive in aperto res surripiantur (12).

LXXXIII. Qui altero etiam in casu proprium latrocinium excludunt, id objicere

(9) Vid. *Paolett. d. tit.* 16.

(10) *Carpzov. pract. crim. quaest.* 22. *n.* 63., qui *n.* 55. aeque latrocinium committi ait, etiamsi ex intervallo testis furti caedatur.

(11) *Creman. d. cap.* 5. *artic.* 5. §. 3.; *Paolett. d. tit.* 16.

(12) Ex lege 15. *Januar.* 1744. §. 19. Ipsa etiam lethalia, aut gravia vulnera damnum passis illata, qui vel hoc impedire, vel ablatum recuperare niterentur, plectebantur morte.

solent, quod praemeditatio, et proditio, ex qua scelus ad classem atrociorum perfertur, nec adsit, neque praesumi valeat, ubi ex improviso caedes admittitur (13), non sequutura, nisi criminis testis, aut ad bona auferenda impedimentum supervenisset; Verum hoc pariter dubium facili distinctione resolvitur, cum alia praemeditatio, seu deliberatio illa sit, quam post irae fluctus temporis intervallo compositos quis nihilominus vindictam anhelans concipit, alia, quae ex mera, scelesti, prout in casu, malitia proficiscitur, nullo justo affectu excitata, quemadmodum opportune observat *Grassettus* (14), cui quidem deliberationi nil turpitudinis detrahere potest supervenientis clamor, nec jurgia, neque etiam ipsius conatus, ne quod contrectaverat secum auferat latro.

LXXXIV. Latrocinii pariter actione tenebitur qui ex praecedente inimicitia homi-

(13) *Caball. de omni genere homicid. n.* 381., *Boss. de homicid. n.* 54., *Farinac. quaest.* 126. *n.* 8.

(14) *Anatom. nec. prodit.* §. 3. *n.* 5. „ neque „ enim plenitudo illa deliberationis pendet ab „ intervallo ullo, sed ab intellectricis poten„ tiae libertate, seu vacuitate ab omni nebu„ la, per aliquem affectum excitata, et infu„ scante ipsam potentiam, quae libertas, seu „ vacuitas in instanti, et sine ulla interscape„ dine haberi potest „ .

cidium deliberat simul, et furtum, atque utrunque peragit scelus, neutrum peracturus fortasse, nisi praecedens odium impulisset ad caedem; sufficit enim accessisse etiam lucri consilium, ut latrocinii actio obtineat: Secus autem, quoties ex facto improviso homicidium advenerit, postea vero homicida, occasione ductus, quem interfecerat spoliaverit etiam, quod antea ne cogitaverat quidem; tunc etenim non latrocinii, sed separata actione homicidii, et furti Reus tenebitur (15).

LXXXV. Quoniam non lucri tantum, sed etiam commodi causa hoc scelus committitur, ideo latrocinii illum argui posse, qui, ut alienam ducat Uxorem, Maritum peremerit, *Carpzovius* autumat (16); ita eum quoque, subdit *Cremanus*, qui Foeminam ab ipso stupratam interficit, ut criminationem evadat, et poenam (17); quae tamen homicidia, cum praemeditationem prae se ferant, et proditionem, hac etiam actione Fiscus poterit persequi apud Nos, ubi par poena scelus utrunque manet. Simili modo actio latrocinii, proditionis, et siquae aliae, adversus eum concurret, qui caedem admiserit, vel ut haereditatem consequatur, vel

(15) *Raynald. vot. crimin.* 152. *n.* 12., *Paolett. d. tit.* 16.
(16) *D quaest.* 22. *n.* 52.
(17) *D. artic.* 5. §. 2.

ut a legati praestatione se exoneret, vel ut male gestae administrationis Pupilli evitet molestias, vel ut quod ad custodiam sibi concrediti Pueri, atque ad illum alendum acceperat aurum usurpet, quemadmodum perfidus ille Rex Thraciae apud *Virgilium* (18), et caeteri hujusmodi.

LXXXVI. Cum caedes Hominis lucri, vel commodi causa latrocinium constituat, hinc hujus criminis actio cessabit, quoties, etsi fur vim adhibens laedat, et feriat obstantem, ne res auferantur, non tamen graviter adeo, neque iis instrumentis, et armis, ex quibus necandi animus argui possit: Non itaque tunc latrocinii, sed aut grassationis, aut rapinae simul, et vulnerum tenebitur fur, quemadmodum suo loco videbimus. Ubi vero et vulnerum qualitas, et armorum, quibus illata fuerunt, occidendi voluntatam ostendant, utcunque mors non sequatur, latrocinii actio obtinebit, attentati quidem, sed quod pari, ac si perfectum, supplicio vindicandum nonnulli autumant, dum interim alii quid poenae ordinariae remittendum scelesto moneat (19).

(18) *Aeneid. lib.* 3.
Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat, et auro
Vi potitur: Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames?

(19) *Carpzov. d. quaest.* 22. *n.* 71. 83., *Creman. d. artic.* 5. §. 3. Priori sententiae, at-

LXXXVII. At contra non meri conatus habebitur reus, ut poenam delicti ordinariam evadere possit, qui furandi proposito caedem peregit, sed nihil deinde abstulit, vel quod nihil repererit, vel quod supervenientium clamore perterritus securitati suae consulendum duxerit fuga: Cum enim latrocinium caedes sit Hominis lucri, aut commodi causa, toties perfectum considerandum scelus videtur, quoties eo fine caedatur Homo, licet vel parum, vel nihil inde aut lucri, aut commodi ad latronem pervenerit (20) sive statim, seu mox, ut sperabat. Ita equidem sentio; sed ubi quid nihilominus dubii superesset fortasse, nominis dubium apud Nos esset, ubi aeque, ac latrocinium, puniuntur deliberata homicidia, et deliberatum profecto illud est, quod a latrone committitur.

LXXXVIII. Quocunque loco caedes, ac spolia patrentur, latrocinium diximus: Qui

que etiam lato modo adhaesit patria Lex recens 22. *Iun.* 1816., quae tamen pro re nata emanavit: Caeterum antecedens Lex 30. *August.* 1795. non nisi caedi peractae poenam ordinariam extremi supplicii statuit, ne forte, cum eandem se poenam passuros altero etiam in casu scelesti sciant, praeferant caedem, spe ipsa impunitatis illecti suppresso teste; Vid. *Filanger. scient. legislat. lib.* 3. *cap.* 30.

(20) *Carpzov, d. quaest.* 22. *n.* 39.

tamen haec scelera in maribus audent, magis proprio nomine piratae vocantur, graece enim praedo marinus Πειρατὴς dicitur, quod olim facinus gloriae habitum fuisse orientalium, et borealium regionum incolis mari finitimis testantur historiae (21); verum enixe dehinc a Romanis repressum fuit sub *Pompejo* praesertim, qui hoc genus Hominum quacunque Mediterranei parte insequutus tandem in Ciliciae freto expugnavit (22): Cum scelesti istiusmodi communes omnium sint hostes, ut ait *Cicero* (23), quaecunque enim violant Iura, et Societatis vincula frangunt, ideo adversus eos unaquaeque Potestas vindictae jus habet, quemadmodum in caeteros praedones consimiles, quorum domicilium instabile (24).

LXXXIX. Fieri quandoque potest, ut plures in furtum consentiant, nec tamen in Hominis caedem: Ubi haec nihilominus pa-

(21) *Iustin. histor. lib.* 43, *Thucidid. bell. Peloponnens. lib.* 1., *Heinecc. elem. jur. German. lib.* 2. *tit.* 3. §. 58.

(22) *Plutarch. in vita Pompei.*

(23) *De offic. lib.* 3. *cap.* 29.; diversi quidem ab iis „ qui Nobis, aut quibus Nos publice bellum decrevimus „ *Pompon. in leg. hostes ii sunt ff. de verborum significatione.*

(24) *Gloss. in leg. siquis Cod. ubi quis de Curiali, Clar. §. final. quaest.* 39., *Matth. lib.* 48. *ff. tit.* 13. *cap.* 5. *n.*5., *Heinecc. praelect. ad Grot. lib.* 2. *cap.* 20. §. 40. *n.* 3.

trata fuerit, quibusdam ex iis, vel insciis, quod forte foris excubias agerent, vel, si praesentes, invitis tamen, latrocinii eos non teneri jure dicemus; severiori tamen punientur poena, quam quae simplici furto debetur, in quod consenserant; qui enim in illicitis versatur, latae utique ex notis juribus arguitur culpae, siquid inde majus, etsi praeter illius exspectationem, advenerit malum: Id ipsum obtinet, etiamsi quis ab initio in homicidium consenserit, quoties postea poenitens non solum dissuaserit socios, verum et id omne, quod in eo erat, praestiterit, ne caedes fieret (25).

XC. Latrones furca (26) figendos edixit Ius Romanorum; nonnulli etiam damnabantur ad bestias (27): Mors pariter infami patibulo (28) apud Nos manet hujuscemodi Re·

(25) *Paolett. d. tit.* 16.

(26) *Cruci*, non *furca* scriptum erat in textu, ut notant Interpretes: *Constantinus* crucem, signum salutis nostrae, sustulit, et furcam substituit; ideoque *Tribonianus* postea scripsit *furca*, *Matth. d. lib.* 48. *ff. tit.* 18 *cap.* 1. *n.* 2., *Voet. in pandect. lib.* 48. *tit.* 19. *n.* 2.

(27) *Leg. capitalium §. famosos ff. de poenis.*

(28) Furcae supplicium existimatum fuit infame magis, quam capitis amputatio securi *Matth. d. cap.* 1. *n.* 2.; haec hodie poena statuta apud Nos aeque infamis consideratur. In atrocissimis delictis olim cadaveris dissecti partes affigebantur patibulo, ut juxta

os: Ad raptores, et grassatores quod attinet, qui furtum passos, aut eorum domesticos quomodocunque laeserint, fusius de his Libro sequenti dicendum erit. Interim nunc monuisse juverit probationem furti, quae caeteroquin ab illud passis praecipue elicitur, cum non aeque directa in latrocinio haberi possit, comparandam aliunde, conjecturis etiam interdum, et praesumptionibus, ita porro, ut non illico, nec semper ab uno ad alterum scelus argumentari liceat; fieri enim potest, ut aliis ex causis occidat quis, alter vero furetur (29).

text. in d. leg. capitalium „ conspectu deterrentur alii ab iisdem facinoribus „

(29) *Paolett. d. tit.* 16., *Creman. d. artic.* 5. §. 7.

CAPUT XII.

De Plagio.

XCI. **F**raudulenta suppressio liberi Hominis, vel servi alieni Romano Iure plagium dicitur (1), nomen, quod non quidem a plaga, qua Parens, aut Dominus per suppressionem sauciantur, ut crediderunt nonnulli (2), sed a graeco vocabulo originem trahit, graece enim Πλαγιος idem sonat, quod apud Latinos *obliquus*, *transversus*; et sane, qui fraudulenter, seu per vim, quam dicunt interpretativam, alterum supprimit, haud recte agit, sed oblique, ac dolose.

XCII. Species furti ex eodem Romanorum Iure consideratur hoc crimen (3), siquidem juxta eorum instituta et servitus, et liberorum venditio jamprimum inducta longum perduravit in aevum; cum utraque jandiu exulaverit, nec liberum corpus, ut hodie nascimur omnes, aestimationem recipiat (4),

(1) *Matth. lib.* 48. *ff. tit.* 12. *cap.* 1. *n.* 2.

(2) *Gloss. in leg.* 1. *ff. ad leg. Fabiam de plagiariis*, *Ursay. instit. crim. lib.* 2. *tit.* 8. *n.* 216.; Vid. *Caravit. instit. crim. lib.* 4. §. 1. *cap.* 70. *n.* 1., *Matth. loc. cit.*

(3) *Leg. eam, qui emit* §. *si filius, leg. si filius familias ff. de furtis.*

(4) *Leg. liber homo ff. ad leg. Aquiliam, leg.* 1. §. *sed cum liber ff. de iis, qui dejecerint, vel effuderint.*

consequens inde videtur, non singula quaeque convenire in hoc scelus, quae ad furtum constituendum desiderantur (5).

XCIII. Quod si non ad utilitatem, aut lucrum, hisce enim ex causis plagium committitur, sed ad libidinem Foemina subtrahatur, aut etiam Mas, non actio plagii tunc obtinebit, sed raptus, ut suo loco videbimus. Nec autem penitus novum Mares etiam ad libidinem surripi sive ab altero Mare, sive ab audacibus Foeminis, queis non utique, ut observat *Matthaeus* (6), difficile est eadem vi, qua rapuerunt, cogere Virum ad Venerem; sane minus difficile, quam salaci illi Nymphae apud *Ovidium* (7). Ita pariter non plagii, sed privati carceris actione tenebitur siquis, ut sibi quomodocunque jus dicat, per vim detinuerit Hominem; receptus vero; barbarum enim hoc nomen opportunitate ducti usurpavimus alibi, si, ut ab illo pecunias extorqueat (8).

(5) *Carpzov. pract. crim. quaest.* 83. *n.* 87.
(6) *D. lib.* 48. *ff tit* 4. *cap.* 2. *n.* 2.
(7) *Metamorphos. lib.* 4. *fab.* 11.

Utque solent hederae longos intexere truncos,
. . . . illa premit, commissaque corpore toto
Sicut inhaerebat, pugnes licet, improbe, dixit,
Non tamen effugies. . . . .

(8) *Lib.* 2. *cap.* 18. §. 100.

XCIV. Cum non alio consilio Plagiarius delinquat, quam ut vel ad sui utilitatem, et commodum suppressus Homo inserviat, vel ut alteri mercede pacta ad usum ejusmodi tradat (9), non immerito plagii argui poterunt qui tenellum supprimunt puerum (10), ut mendicando facilius ad misericordiam alios inducant, aut tacita adoptione quasi suum retineant, vel ut ab orbatis Parentibus quid lucri restituendo percipiant (11); quemadmodum hac actione tenentur non illi solum, qui cujuscunque aetatis Homines impositos navibus longe trajiciunt, ut tanquam mancipia vendant, sed et illi pariter, qui blanditiis, atque munusculis incautos praesertim Iuvenes ad militandum apud Exteros alliciunt, et transmittendos curant, ita porro, ut Principis alieni vexilla, velint, nolint, sequi cogantur, quod quidem crimen perduellionis actione vindicabitur, si transmittantur ad Hostem, ut alibi dictum est (12): Et quo-

(9) Quoties plagio vis facta corpori jungitur, actio etiam de vi in Plagiarium obtinet ad *text. in leg.* 1. *Cod. ad leg. Fabiam de plagiariis*.

(10) Apud Nos qui ad alendum a Brephotrophio acceperint puerum, si aliis tradunt Magistratu inconsulto, pecuniaria poena multantur juxta *Edict.* 10. *Maj.* 1793.

(11) *Boehmer. elem. jurisprud. crim. sect.* 2. *cap.* 15. §. 198.

(12) *Lib.* 2. *cap.* 10. §. 51.

niam addicti poenae in triremibus, aut opere publico Fisci mancipia considerantur (13), ideo qui eos fugitivos celaverit, plagii teneri poterit (14).

XCV. In plagii crimen apud Romanos ex Lege Cornelia primum, quae tamen ad Dictatorem non pertinet (15), animadversum fuit (16); postea lata Lex Fabia, quam *Q. Fabio* Consuli tribuunt, qui enim Flaviam appellant, erroris palam redarguuntur a Codice Theodosiano (17); pecuniariam initio fuisse poenam *Ulpianus* testatur (18), *Hermogenianus* pariter (19); haec tamen exolevit deinde, ita quidem, ut capitale crimen evaserit (20) pro modo admissi plectendum, plerumque metalli poena, atque etiam crucis juxta *Paulum* (21)

(13) *Leg. frustra Cod. de sententiam passis*, *Cortiad decis.* 86. *n.* 35.

(14) *Leg. eum, qui Cod. ad leg. Fabiam de plagiariis*.

(15) *Gravin. de orig. jur. lib.* 3. *cap.* 107.

(16) Corneliam Legem expresse memorat *Apulej. metamorphos lib.* 8. „ crimen Corneliae „ Legis incurram, si Civem Romanum pro „ servo tibi vendidero „

(17) *Lib.* 9. *tit.* 18. Fabiam pariter vocat *Cic. in orat. pro C. Rabirio cap.* 3.

(18) *Collat. Mosaic. et Romanar. Leg. tit* 14. § 3.

(19) *In leg. poena ff. eod.*

(20) *Leg* 1. *ff. eod.*

(21) *Lib.* 5. *sentent. tit.* 30.

in humiliores, relegatione perpetua, et ademptione dimidiae partis bonorum in honestiores; adversus eos, qui ex Urbe ingenuos asportarent, aut servos, capitis indixit poenam *Diocletianus*, frequens enim hoc crimen Romae tunc temporis fuerat (22); et poena mortis generatim in omnes obtinuit sub *Constantino* (23), qui sibi sane cohaeret, quemadmodum *Duarenus* observat (24), simul ac, ubi priores memorat poenas, *tenebantur* legamus, ut in Codice Theodosiano, non *teneantur*: Poena pariter mortis vindicatum crimen hoc ipsum legimus apud Hebraeos (25): Ad Nos quod attinet, opus publicum Plagiarios manet, qui delectum habuerint militum (26); eadem poena, aut minori pro modo admissi puniuntur caeteri; sed, ubi scelus in perduellionem recidat, morte etiam plectetur (27).

(22) *Leg. quoniam Cod. ad Leg. Fabiam de plagiariis*.

(23) *Leg. ultim. Cod. eod.*, bestiis videlicet subjici libertos, et servos, gladio consumi ingenuos jussit.

(24) *Disput. anniversar. lib.* 2. *cap.* 20.

(25) *Deuteronom. cap.* 24. *v.* 7 „ si deprehensus fuerit Homo sollicitans fratrem suum de „ filiis Israel, et vendito eo acceperit pretium, „ interficietur, et auferes malum de medio tui „

(26) *Leg.* 19. *Iul.* 1742., quae ad mortem usque puniendi facultatem extendit.

(27) *Leg.* 30. *August.* 1795. *§.* 9.

XCVI. Plagiarii dicuntur pariter, qui in litterarum, et scientiarum Republica, quod suum non erat, suppresso Auctoris nomine, paucis permistis ut suum jactitant, et sibi impudenter ascribunt: Adversus hanc pestem non immerito *Duarenus* irascitur (28), *Caravita* (29), *Cremanus* (30), et alii: Et re quidem vera nil magis injurium ingenuo, ac docto Viro, quin et ipsi Reipublicae fieri potest; cum enim quam sibi quis gloriam sudans, et algens comparandam curaverat, eam temere alter, et subdole usurpare audet, et praestantiori ingeniorum remuneratione fraudatur, et ad ulteriora intentanda exanimatur quodammodo: Hoc itaque praedonum genus, furtivis, ut Aesopia cornicula, nudatum coloribus, eadem, qua ipsa, nota a litteraria Republica repellendum videtur, ut hac ratione illatae pergravis injuriae poenas rependat (31).

XCVII. Nec tamen hujusmodi notam illis licebit inurere, qui, dum isto in curriculo, ubi tot ante saecula nil propemodum novi *Terentius* agnoverat (32), ingenium

(28) *In epist. ad Franciscum Balduinum.*
(29) *D. cap. 70. n. 37.*
(30) *De jure crim lib. 2. cap. 7. artic. 3. §. 7.*
(31) Ab externis plagiis celebriora quaedam Ingenia Itala erudite, et enixe vindicavit *Soria opuscul Philosophic. Tom. 2.*
(32) *Prolog. in Eunuch.*

exercere nituntur, vel quod rude fortasse peregrino quasi lixivio perpoliunt, vel quod subobscurum illustrant, ut, quae jam dicta prius, altero, et clariori ordine quid novitatis prae se ferant quodammodo, vel, cum aliorum vestigia disserendo sequuntur, per quos profecerint juxta monitum *Plinii* (33) fatentur ingenue: Hi sane omnes non solum reprehensione vacant, sed commendatione potius digni censendi videntur, quod, quantum in eis fuerat, qualecunque scientiis, et litteris afferre conati sint incrementum.

Nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius.

(33) *In praefat. histor. natural. ad Vespasianum.* Caeterum vero
Scimus, et hanc veniam petimusque, damusque vicissim. *Horat.*

FINIS LIBRI III.